QUINQUE

# ILLUSTRIUM POETARUM

ANT. PANORMITAE; RAMUSII, ARIMINENSIS; PACIFICI MAXIMI, ASCULANI; JOAN. JOVIANI PONTANI; JOAN. SECUNDI, HAGIENSIS.

# LUSUS

## IN VENEREM

*Partim ex Codicibus manuscriptis nunc primùm editi.*

PARISIIS,
Prostat ad pistrinum in vico suavi.

M. DCC. XCI.

Innocuos censura potest permittere lusus.
Lasciva est nobis pagina, vita proba est.
*MART. Epigramm. lib. V.*

# MONITUM.

Si *qui nobis vitio vertant, quòd carmina haec subimpudica nimis, Latinae linguae studiosis propinamus, legant, quaeso, antequam in nos irascantur, disertissimam apologeticam praefationem viri clarissimi* Gasparis Scioppii *ab eo praemissam libro inscripto :* Priapeja, sive diversorum Poetarum in Pria-

pum lusus ; illustrati Commentariis Gasparis Scioppii Franci, etc. Patavii apud Gerardum Nicolaum, sub signo Angeli aurati. M. D. C. LXIV. in-8.

ANTONII PANORMITAE.

ANTONII PANORMITAE

# HERMAPHRODITUS.

DE

# ANTONIO BECCATELLO, PANORMITA.

ANTONIUS poeta à Sigismundo imperatore laureâ donatus, jurisconsultus et eques, ex familia Beccatellorum Bononiensium, natus est Panormi Siciliae anno 1393, atque inde notus sub nomine Panormitae, diem obiit extremum anno 1471, die VI. januarii, aetatis 77: de quo praeter Jovium, et elogia Sicula Hieronymi Ragusae, Nicolaique Toppii bibliothecam Neapolitanam in Antonio Bologna et Petri Baelii dictionarium in Panormita, vide sis Antonium Mongitorem de scriptoribus Siculis tomo I. pag. 55. seq. nec non Jacobum Gaddium de scriptoribus non ecclesiasticis, Lugd. per Joan. Petr. Chancel, 1649, fol. tom. II. pag. 128, sed prae reliquis Apostolum Zenum, *Dissertazioni Vossiane*; *Venezia, per Gio. Bat. Albrizzi, 1752, in-4. tomo I. pag. 305*, qui de ejus vita et operibus editis et ineditis doctissime edisserit. Celeberrimi sunt Panormitae lib. IV. de dictis et factis Alphonsi regis utriusque Siciliae et Aragoniae, cujus secretioris scrinii magister fuit, pluries recusi. Mille aureos proemium tulisse ab Alphonso Panormitam notavit Joan. Jovianus Pontanus libro *de Liberalitate*, cap. 29. tom. I. operum p. 328; cujus etiam dialogus *Antonius*, tom. II. pag. 1196.

seq. ad hujus Panormitae laudes pertinet. Ejus epistolarum libri V. cum orationibus II. ad Ligures et ad Alphonsum regem et cum carminibus ejusdem Panormitae prodiere Venetiis 1553, in-4. Aliae orationes duae ad Caetanos et Venetos de pace extant apud Barptolemaeum Facium de rebus gestis Alphonsi, Lugduni 1560, in-4. libri III. pag. 103, et libri IX. pag. 259. Aliae epistolae quoque occurrunt in libro excuso ann. 1586, in-8. cui titulus regis Ferdinandi et aliorum epistolae ac orationes utriusque militiae. Oratio in coronatione Friderici III. quam ann. 1452, Romae habuit, extat in Freheri scriptoribus Germaniae tomo III. statim sub initio, repetita ex veteri Veneta editione. Ejus carmina, quibus titulum fecit Hermaphroditum, ne Poggio quidem probata propter lasciviam, et in Constantiensi concilio damnata, Cosmo Medices patri patriae inscripta, manu exarata adhuc in bibliothecarum scriniis latuere, ut in Medicea Florentiae, Ambrosiana Mediolanensi, Farnesiana Neapoli, Regiâ Parisiensi, etc. eaque nunc omnium primi publicâ luce donamus. Contra hujusce libri lasciviam insurrexerunt Franciscus Philelphus, Laurentius Valla, Raudensis, Marianus Volaterranus in poemate suo in ipsum conscripto manusc. olim apud Apostolum Zenum. Venetiis. Quin etiam è sacro suggestu, celeberrimi eâ aetate verbi Dei praecones, ut Bernardinus Senensis ac Robertus Aleciensis plurimùm declamarunt; unde Laurentius Valla, in Facium invectiva II. pag. 543, edit. Basil. 1540, in-fol. haec memoriae prodidit de Panormita.

» Certè bis in celeberrimis Italiae locis, primùm Ferrariae, cùm papa synodo adesset, iterum Mediolani, » omnium populorum frequentiâ inspectante, per imaginem chartaceam crematus est; tertiò per se ipsum » cremandus ut spero. » Hoc sibi epitaphium vivens, sed morti proximus composuit.

*Quaerite, Pierides, alium qui ploret amores,*
*Quaerite qui regum fortia facta canat.*
*Me pater ille ingens, hominum sator, atque redemptor,*
*Evocat, et sedes donat adire pias.*

## PONTANI.

*Siste hospes, fas est cantus audire Dearum.*
*Grata mora est; musae nam loca sacra tenent.*
*Antoni monumenta vides, hinc templa frequentant.*
*Ille fuit sacra maxima cura chori.*
*Illum saepe suis medium statuere choreis,*
*Duxit compositos, arte decente, choros.*
*Saepe lyram cessit Clio; cessere sorores,*
*Concinuit teneros voce manuque sonos.*
*Extinctum flevitque Aon, flevitque Aganippe*
*Sebethus miseros egit in amne modos.*
*Sirenes quoque de scopulis miserabile carmen*
*Ingeminant, planctu littora pulsa sonant.*
*Pierides tristem ad tumulum fudere querelas,*
*Pierides passis post sua terga comis.*
*Hinc crevit desiderium, nec cura recessit*
*Vatis, at extincto Vate remansit amor.*

*Conveniunt nunc ad tumulum, celebrantque choreas.*
*Et memorant lusus, magne poeta, tuos.*
*En audis sonet ut lenis concentibus aura?*
*Ut sonet appulsu concita terra pedum?*
*Haec vati memores Musae post fata rependunt,*
*Carminis hoc meritum est; num satis? Hospes abi.*

# GUARINI
# IN HERMAPHRODITUM
# JUDICIUM.

GUARINUS SUAVISSIMO JOH. LAMOLAE.
PL. SAL. D.

POSTEAQUAM alteras ad te descripseram, tuae, et graves et ornatae redditae mihi sunt, quae eo accumulatiores venerunt, quo etiam comitem habuerunt libellum verè ἑρμαφρόδιτον, adeo prudenter, et politè conscriptus est, ut sane Mercurio juncta venustas videatur, quod et ipsum graecè sapit vocabulum. Mirari profecto licet suavissimam carminis harmoniam, dicendi facultatem, inelaborata verba, et inoffensum compositionis cursum. Nec idcirco minus carmen ipsum probarent et ingenium, quia jocos, lasciviam, et

petulcum aliquid sapiat. An ideo minus laudabo Apellem fabrum, ceterosque pictores, quia nudas et apertas pinxerint in corpore particulas, naturâ latere volentes? Quid si vermes, fastidiosasque bestiolas expresserint, num ipsam admiraberis et extolles artem, artificisque solertiam? Ego medius fidius hominem probo, ingenium miror, et ludente, delector; flente, rideo, lupanari medio scortantem laudo versum. Plus valet apud me conterranei mei, vatis non inlepidi auctoritas, quam imperitorum clamor, quos nil, nisi lacrymae, jejunia, psalmi, delectare potest; immemores quod aliud in vita, aliud in oratione spectari convenit.. Ut autem ad meum conterraneum revertar, ille hunc in modum ait:

» Nam castum esse decet pium poetam,
» Ipsum, versiculos nihil necesse est,
» Qui tum denique habent salem ac leporem,
» Si sint molliculi ac parum pudici,

A qua quidem sententia, et noster Hyeronimus non abhorret, homo castimonia et integritate praeditus inprimis, qui quum in meretrices sermone incidisset, quantam lascivienti ac vere scortanti calamo permisit usurpare licentiam? Quo cum delicatis stringere colla complexibus, et, quod dictu quoque scelus est, manibus attrectare virilia, ut corpore in libidinem concitato, se victrix impudica superjaceret. Quis leno impudens flagitio linguam magis involveret? Habeo mille, et quidem locupletissimos testes graves, continentes,

et christianos homines, qui spurcissimo uti sermone nihil expaverunt, quum res postulabat. Sed in re certa supervacuum est testes citare minime necessarios. Ludo igitur, non modo ἐποποιὸν, sed et poetam nostrum, ita enim appellare velim:

» Musarum decus, Antoni, per saecula salve,
» Theocriton antiquum Syculae telluris alumnum,
» Effingis, prisca revocans dulcedine vatem;
» Sicelides Latio per te dabit Aethna Camoenas.

Vale, mi Joannes, et litterarum mearum λακωνισμῷ da veniam. Haud enim me sinunt occupationes μακρολογεῖν. Quid nostri sentiant de hominis ingenio, faxo sentias, quum eos in voluptatis partem vocaro. Vale iterum. Veronae IV. nonas Februarias.

ANTONII

ANTONII PANORMITAE

# HERMAPHRODITI

## *LIBELLUS PRIMUS.*

AD COSMUM FLORENTINUM,
*ex illustri progenie Medicorum Virum clarissimum.*

Si vacat à patrii curâ studioque senatus,
  Quidquid id est, placido lumine, Cosme, legas.
Elicit hoc cuivis tristi rigidoque cachinnos,
  Cuique vel Hippolyto, concitat inguen opus.
Hac quoque parte sequor doctos veteresque poetas,
  Quos etiam lusus composuisse liquet;
Quos et perspicuum est vitam vixisse pudicam,
  Si fuit obsceni plena tabella joci.
Id latet ignarum vulgus, cui nulla priores
  Visere, sed ventri dèdita cura fuit;
Cujus et hos lusus nostros inscitia carpet,
  Oh ita sit! Doctis inreprehensus ero.
Tu lege, tuque rudem nihili fac, Cosme, popellum,
  Tu mecum aeternos ipse sequare viros.

### *Ad semetipsum loquitur et respondet.*

Cosmus habet Dios, et lectitat usque poetas,
  Quid studium turbas, rauce poeta suum?

Cosmus habet lautas epulas. Quid oluscula coenat,
Una quidem ratio est, et studii et stomaci.

## *Ad Cosmum Virum clarissimum,*

### DE LIBRI TITULO.

Si titulum nostri legisti, Cosme, libelli,
Marginibus primis Hermaphroditus erat.
Cunnus et es nostro simul es et mentula libro,
Conveniens igitur quàm bene nomen habet.
At si podicem vocites, quòd podice cantet,
Non inconveniens nomen habebit adhuc;
Quod si non placeat nomen, nec et hoc, nec et illud,
Dummodo non castum, pone quod ipse velis.

## *Ad Matronas et Virgines castas.*

Quaeque ades exhortor, procul hinc matrona recede,
Quaeque ades hinc pariter, virgo pudica, fuge.
Exuorem bracis; jam prosilit inguen apertis,
Et mea permulto musa sepulta mero est.
Stet, legat, et laudet versus Nichina procaces,
Adsueta et nudos, ursa, videre viros.

## *De Ursa superincubante.*

Quum mea vult futui superincubat Ursa Priapo;
Ipse suas partes substineo, illa meas.
Si juvat, Ursa, vehi, moveas clunemque, femurque
Parcius, aut inguen non tolerabit onus;

Deinde cave reduci repetas ne podice penem,
  Quamvis, Ursa velis, non mea virga volet.

## *De Corvino.*

### *Vinum accurate custodiente, non uxorem.*

Corvinus vegetem custodit clave, seràque,
  Non cohibet cunnum conjugis ille serâ.
Zelotypus vegetis, cunni sed prodigus ille est,
  Haustu nam cunnus non perit, illa perit.

## EPITAPHIUM

### PEGASI CLAUDI PAEDICONIS.

Si vis scire meum nomen, votumque viator,
  Pegasus hac ego sum claudus humatus humo;
Vota deinde scias, nomen quum sciveris; audi,
  Sic desiderio tu potiare tuo.
Quum paticum quemquam paedicaturus ephoebum es,
  Illud in hac tumba, quaeso, viator agas.
Atque ita mis animas coitu, non thure piato,
  Scilicet hanc requiem manibus, oro, dato.
Hoc apud infernas genus est leniminis umbras
  Praecipuum, prisci sic statuere patres.
Quippe ita Chyronis cineres placabat Achilles,
  Sensit et hoc podex, Flave Patrocle, tuus.
Gnovit Hylas patrio percisus ab Hercule busto,
  Tu mihi majores quod docuere, lita.

### *De Ursae tentigine et naso.*

Si multus multae est nasus tentiginis index,
Ursae tentigo tenditur usque pedes.
Quin si multa ampli nasi tentigo sit index,
Nasus ad usque tuum tenditur, Ursa, genu.

### *Ad Cornutum respondet quare relictâ Etruriâ tristior sit.*

Quaeris ab unanimi, dulcis Cornute, sodali,
Cur videar lictà tristior Etrurià?
Cur lusus abiere, jocique, et pallor in ore est,
Muta quid heic subito facta Thalia mea est.
Pene potens agit heic Gallus, qui cruscula solus,
Quaeque velit, solus basia, quaeque velit.
Is sibi habet quodcumque natis, vel podicis urbe est,
Quidquid et è Tuscis, aut aliunde venit.
Munera dat Chroeso nummato, qualia sat sint,
Muneribus blandas adjicit illecebras.
Inde edicta suis scribit quasi praetor ephoebis,
Ne sine te tangi, ne sine te subigi;
Non potes ergo loqui puero, ni indulgeat ille,
Ni velit is, puero non potes ipse frui.
Tu contra ingenuas mulieres tu quoque servas,
Tuve bonas vexas inguine, tuve malas;
Vix tibi quae natum sacro de fonte levavit,
Vix sacra, vixque soror, vix tua tuta parens.
Tu futuis viduas, futuis nuptasque, maritasve,
Et tibi vis, cunni quidquid in urbe manet.

Tu tibi vis igitur totà quid mingit in urbe,
Ille sibi totà quidquid in urbe cacat.
Et mihi quin etiam jam constat mentula, qualem
Qui superat certè non homo mulus erit.
Et mihi nimirum constant viresque, vicesque,
Quales qui vincit non homo, passer erit.
Cur mihi non igitur futuendi copia fiat?
Nec sit quae coleos hauriat ulla meos?
Quare agedum nobis de partis cede puellam,
Aut unam, aut unam tu mihi quaere novam.
Tunc me conspicias laetum lautumque licebit,
Candida tunc pulchrum nostra Thalia canet.

*In Mathiam Lupium, claudum maledicum.*

Nescio quis nostram fertur carpsisse Camoenam,
Si non decipior, Lupius ille fuit.
Illa sibi solita est nimium lasciva videri,
Confiteor, vitae congruit ergo suae.
Est vir is obscoenus, nostrae est lascivia Musae,
Illa levis versu, moribus ille levis.
Adde quod id monstri, pedibus non ambulat aequis,
Imparibus constat nostra Camoena modis.
Si culpat versus, et se culpare necesse est:
Si sapis ergo, tace prodigiose senex.

*In eumdem loripedem.*

Dic mihi cur longo, Lupi, vestiris amictu?
An vitium surae vis operire toga?

Nil agis, ô demens, humeri, latera atque moventur,
Ut tumidâ nullo remige lembus aquâ.

*In Mamurianum*

*postremae turpitudinis Virum.*

Si tot habes scapula penes, quot sorpseris ano,
Et perfers, vincis, Mamuriane, boves.

*Lepidinus ab Auctore quaerit, cur qui semel paedicare coeperit, haudquaquàm desistat.*

Cur qui paedicat semel, aut semel irrimat, auctor
Nugarum nunquam dedidicisse potest?
Immo Brito, et Bardus quùm vix gustaverit, ultro
Certat in hoc ipso vincere amore Senas,
Parthenope Gallis cedit, Florentia Cimbris,
Si semel his puerum sors tetigisse dedit.

*In Lentulum mollem elatum, et postremae turpitudinis Virum.*

Solus habes nummos, et solus, Lentule, libros
Solus habes pueros, pallia solus habes.
Solus et ingenium, cor solus, solus amicos,
Unum si demas, omnia solus habes.
Hoc unum est podex, quem non tibi, Lentule, solus,
Sed quem cum populo, Lentule mollis, habes.

## *Ad* LEPIDINUM *responsio, et quare Ursus caudâ caret.* 15

Accipe ridiculam, dulcis Lepidine, fabellam,
Et quae, quod poscis, dissoluisse queat.
Fertur ab horticola Divam quaesisse Priapo,
Seu Venus in dubio est, seu dea Flora fuit.
Cur quum velentur quasi quaeque animalia caudâ,
Ursus non caudâ membra pudenda tegat;
Ille refert, escam cupidè dum quaereret Ursus,
In tempestivos incidit ille favos;
Nec comedit primùm, licèt ipse famelicus esset,
Quandoquidem merdas credidit esse favos;
At stimulante fame, mox haeret, libat et instat,
Mel sapit, et tandem non edit, immo vorat.
Rusticus advortit, properat, strepit, Ursus obaudit,
Rusticus is custos mellis, et Argus erat.
Denique robusti cauda subnititur Ursi,
Et trahit ille novo, non trahit ora cibo.
Pauperiem timet hic, timet hic de melle moveri,
Ille suo perstat proposito, ille suo.
Verùm adeò trahit, adeò hic contrarius obstat,
Manserit ut stupidâ cauda revolsa manu.
Hic Deus hortorum dum subdere plura pararet,
Arrigit, et pepulit mentula tenta Deam.

## *Laus* ALDAE.

Aldae oculi legere domum, Charitesque, Venusque,
Ridet, et in labiis ipse Cupido suis.

Non mingit, verùm si mingit, balsama mingit,
  Non cacat, aut violas, si cacat, Alda, cacat.

## *Ad Coridonem ardentem Quintium turpem, deformem puerum.*

Quintius is Corydon, quem vesanissimè, flagras,
  Siccior est cornu, pallidiorque chroco.
Aridus in venis exstat pro sanguine pulvis,
  Deque suo gracili corpore sudor abest.
Aethiopi perhibent gens concubuisse parentem,
  Atque ideò gnatos edidit illa nigros.
Si risum elicias, rictum inspicies sibi, qualem
  Prodit in aestivo tempore cunnus Equae.
Si buccam olfacias, culum olfecisse putabis,
  Verùm etiam culus mundior ore suo est.
Mentula perpetuò tibi quam contracta jacebit,
  Tu sibi dumtaxat basia finge semel.
I procul hinc, Quinti, foedum putensque lupanar,
  Atque alio quovis ista venena feras.
Quis numeret, quot hians absorpserit inguina podex?
  Quot naves Siculo littore Scylla voret?
Ipse palam patitur, pudet heu, muliebria cuivis,
  Ipse palam tota prostat in urbe puer.
Qui puerum hunc igitur quit paedicare, profectò
  Is poterit rigidas supposuisse feras.

## *In Hodum mordacem.*

Hodus ait nostram vitam non esse pudicam,
  È scriptis mentem concipit ille meis.

Non debet teneros Hodus legisse Catullos,
  Non vidit penem, verpe Priape, tuum.
Quod decuit Marcos, quod Marsos, quodve pedones,
  Denique quod cunctos, num mihi turpe putem?
Me sine cum tantis simul unà errare poetis,
  Et tu cum vulgo crede quid, Hode, velis.

## *Ad Baptistam Albertum, de Ursae luxuria.*

Comis es, et totus pulcer, totusque facetus,
  Litteribus totus deditus ingenuis;
Atque Albertorum claro de sanguine cretus,
  Nec morum quisquam est nobilitate prior;
Quum placeas cunctis, raris pro dotibus, idem
  Tu mihi pro verâ simplicitate places.
Veridicus quum sis, et apertae frontis amicus
  In parili nostro casmate dic quid agas.
Si mihi sint epulae totidem, quot in alite plumae,
  Uno luxuriens has edet Ursa die.
Si mihi sint totidem vegetes, quot in aequore pisces,
  Uno subsitiens ebibet Ursa die;
Si mihi sint totidem loculi, quot littore arenae,
  Hos omnes uno depleat Ursa die.
Si mihi sint totidem libri, quot in aëre pennae
  Hos omnes uno foenerat Ursa die.
Si mihi sint totidem penes, quot in arbore rami,
  Hos omnes uno sorbeat Ursa die.

Denique si nasis essem, Baptista, refertus,
  Hoc foetore omnes imbuet Ursa die.

### *Ad* Quinctium.
### *Quomodo possit arrigere.*

Ad non dilectas, Quinti, tibi mentula tenta est;
  Si tibi jucunda est, ~~Quinti~~, non potes arrigere.
Qui vult posse, suum digitos intrudat in anum,
  Sic perhibent Helenae consuevisse Parim.

## EPITAPHIUM

### Horiectae *Senensis puellae bellissimae, ac moratissimae.*

Postquam marmoreo jacet hoc Horiecta sepulcro,
  Ipsa Deûm credam numina posse mori.
Non fuit absimilis formâ, aut virtutibus ipsis
  Coelitibus, Senae gloria magna suae.
Heu heu non probitas, species, aut unica quemquam
  Abs inclementi demere morte potest;
Quod si clara Deos faciat mortalia virtus
  Corpora, si coelum simplicibus pateat;
Non dubitem per vim modò non sibi jura negentur,
  Dejiciet superâ sede puella Jovem.

## EPITAPHIUM

### Baptistae *virgunculae sororis* Horiectae.

Hic tumulus longe tumulo faelicior omni
Baptistae auricomae virginis ossa tegit.
Dulciter haec agili pulsabat cymbala dextrâ,
Movit et artifices saltibus ipsa pedes.
Omnibus et cantu, plusquam Philomena, placebat,
Matre quidem pulcrâ pulcrior illa fuit.
Indolis egregiae, minimo pro errore rubebat,
Sparsa rubore placens, fusa rubore decens,
Quum satis haec fecit naturae luce supremâ,
Transierat vitae vix duo lustra suae.
Sic qui forté manes semel inclinaverit, idem
Haud facinus coeptum destituisse potest.

### *Ad* Mathiam Lupium *grammaticum.*

Annua publicitus tibi larga pecunia, Lupi,
Solvitur, et pueris quot legis ipse? tribus.

### *In eundem litterarum ignarum.*

Inde tui libri sint, inde scientia, Lupi,
Qui non desipiat, mallet habere libros.

### *Ad* Minum, *quod libellum castrare nolit.*

Mine, mones nostro demam de carmine penem,
Carmina sic cunctis posse placere putas.

Mine, meum certè nolim castrare libellum,
  Phoebus habet penem, Calliopeque femur.

### *In Mathiam Lupium paediconem.*

Ergo tuâ, Lupi, si pascitur hisbo culinâ,
  Cur non obsequitur jussibus ille tuis?
Et si grammaticâ instituas hunc arte magister,
  Cur tibi dat tenerâ verbera crebra manu?
Nescio Tyresiae sortes, nec Haruspicis artes,
  Sed conjecturâ hoc, et ratione scio.

### *Ad Sanctium Ballum versuum suorum cultorem.*

Sancti nugarum lector studiose mearum,
  Cui, plusquam satis est, nostra Camoena placet,
Desine mirari versus, quos inter edendum,
  Edimus, aut horâ carmina lusa brevi.
Testis es, ut quum jam versu defixior essem,
  È digitis calamos subtrahat Ursa meis;
Carmina jam gnosti strepitu persaepè foroque,
  Condita sint medio qualiacumque legis.
Quum plateâ dubius peterem, verbumque locumque,
  Factus sum monitu certior ipse tuo.
Verùm adeo longe me diligis, ut tibi vatis
  Thraicii videar concinuisse lyrâ.
Si qua tamen nostrae dederit sors ocia pennae
  Et me tranquillâ scribere mente sinat;

Est animo versus, quos nulla oblitteret aetas,
  Conficere, ingenii ni mihi vana fides.
Interea foelix et amans, mi Balle, valeto,
  Fiant et parcae ferrea fila tuae;
Et tua crudelis deponat Masia fastus,
  Atque utinam foelix compatriota vale.

### *Lauridius ad auctorem, de flagrantissimo amore suo.*

Me vexat Perusinus amor, vincitque Senensem,
  Heu capit, heu vexat me Perusinus amor.
Collibeat summo proles Perusina tonanti,
  Grata foret superis stirps Perusina Deis.
Karolus insignis formâ, natoque decore,
  Me tenet, et tenero sub pede colla premit.

### *Ad Lauridium responsio de amore suo.*

Ut lubeat Perusinus amor te verset et angat,
  Me mea Senensis Lucia nympha capit.
Gens tibi, gensque Jovi placeat Perusina superno,
  Me mea dumtaxat nympha Senensis amet.
Nil mortale tenet, Divas et moribus aequat,
  Et specie, et Jovis haec digna rapina foret.

*Sena civitas Etruriae loquitur, et Jovem orat ut saltem sibi nympham servet mortalitatis expertem.*

Jupiter omnipotens, et clementissime Divûm
  Exaudi, fundit quas tua Sena preces.
Justa precor, justas audi, justissime, voces
  Urbis, et oh miserae commiseresce Deus.
Postquam me affligi tantorum morte virorum,
  Et Nuruum placuit, vivat alumna, precor.
Vivat alumna, precor, quam scis prolixius, unam
  Mater amem, stabile est matris alumna decus.
Nympha diù superet, patriae faustissima proles,
  Est honor, et dos, spes, gloria, fama mei est.
Ut peritent cuncti, et maneat modò nympha superstes,
  Damna potest patriae, restituisse suae.
Si vivit, mecum est virtus, victoria, mos, pax,
  Nobilitas, et cum nobilitate salus;
Si migrat, sanè cuncta haec, et plura peribunt,
  Mors sua, mors nobis omnibus acris erit.
Non amor, aut cultus, nec erit jocus ullus in urbe,
  Plausus, nec risus, laeta nec ulla dies.
Gymnasium pariter solvetur gloria Senae,
  Quod mea jocundo lumine nympha tenet.
Credite vos Superi, celebris curate puella
  Vivat, longaevo est digna puella die;
Diique, Deaeque iterum moneo, servate puellam,
  Et sinite Etruriâ stet decus urbe suum.

Credite si nigrae truncent sua pensa sorores,
Ingens coelicolis pugna Deabus erit;
Suscipiet siquidem coelestis regia nympham,
Atque opus est proprio cedat ut una polo;
Aut sibi promeritae decimum statuetis Olympum,
Nympha quidem coelo est Lucia digna novo.
Aut pellat quamvis propria de sede necesse est,
Digna quidem coelo est Lucia nympha suo.
Dicite vos, coelum si pro virtute secutae
Sitis, una illa poli munere digna mage est?
Nulla fuit vestrûm, veniam date, purior illâ,
Moribus, ingenio, vel pietate prior,
Denique centenos operam date victitet annos,
Neu cedat vestris mors sua forte malis,
Ergo simul Divae mecum exorate tonantem,
Ut praestet nymphae tempora longa meae.

## *Ad* Cosmum *Florentinum, Virum clarissimum.*

Quam modò sensisti si non tibi grata fuit vox,
Cosme, nihil miror, Sena loquuta fuit.

## EPITAPHIUM

## Catharinae *puellae ornatissimae.*

Hoc jacet ingenuae formae Catharina sepulcro,
Grata fuit multis scita puella procis.

Morte suâ lugent cantus, lugentque choreae.
Flet Venus et maesto corpore moeret amor.

*In Mamurianum Tuscum penisuggum.*

Tuscus es, et populo jocunda est mentula Tusco,
Tusculus et meus est, Mamuriane, liber.
Attamen è nostro praecidam codice penem,
Praecidat, simul ac, Mamuriane, jubes.
Nec prius abscindam, nisi tu prius ipse virilem
Promittas demptam suggere nolle notam.

*Ad Amilium paediconem.*

Hunc paedicato qui portat, Amile, tabellam,
Et referas quae sit pulcra tabella magis.

*De Villico stulto Aldam basiante.*

Porticus ingentem facie dum sustinet Aldam,
Villicus incautae basia rapta dedit.
Hunc vulgus stolidum credit, sed stultius illo est
Vulgus, me miserum quàm bene, stulte, sapis.
Quum liceat stultis impune suavia nymphae
Figere, Dii facerent, stultus ut ipse forem.

*In Mathiam Lupium paediconem.*

Lupius indoctum dum paedicaret ephoebum,
Dixit, io clunes, dulcis ephoebe, move.
Hic ait, id faciam, verbo si dixeris uno;
Ille refert, ceve, diximus, ergo move.

## EPITAPHIUM

### SANZII LIGORIS *belli ac domi praecipui.*

Temporibus luteis in me Romana refulsit
  Virtus prisca domi, militiaeque simul.
Nomen erat Sanzus, clarâ de stirpe Ligori
  Sarcophago hoc tegitur, corpus et umbra polo.

## *Ad* PONTANUM, POLLAM *semideam ardentem pro qua vehementer orat.*

Si vacat Aoniis, o vir pergrate, Camoenis,
  Accipe quod pro te linguâ animoque precer.
Ut tibi dent annos Superi, dignissimus aevo es,
  Dignior est digno candida Polla viro.
Et tibi sit facilis tenerâ cum matre Cupido,
  Dignior est tenerae Polla favore Deae.
Et visens nullo possis, Pontane, videri,
  Dummodo semideâ tu videare tuâ.
Atque anus enervis quae semper murmurat in te,
  In fontes urnae pondere tracta cadat;
At via declivis fieri planissima possit,
  Sentiat et gressus semper amica tuos.
Et si dulce canas, possit vox ipsa videri
  Dulcior, et credat suavius esse nihil.
Inque dies crescat calor hic, et possit amare
  Strictius hic illam, strictius illa virum.

4

Et tibi jam possit nymphae praeclara videri
  Tindaris, ac illi tu videare Paris.
Hispidus actutum queat expirare maritus,
  Ni Deus hortorum vir sit, ut esse putas.
Sive sit ipse Deus, seu non, tamen ipsa maritum
  Te fingat, tecum seque cubare putet;
Et tibi contingat demum inclusisse labellis,
  Et linguam et dominae sustinuisse femur.
Si fortè unanimis pro me, Pontane, precari,
  Atque vicem votis reddere fortè velis;
Id precor adsidue, noctuque diuque precare,
  Ut sit deformis nulla superstes anus.
Sit tibi nil mirum si inculta et dissona mitto
  In risu et medio carmina ficta joco.

## *In Maledicum.*

Est qui me coram, meque, et mea carmina laudet,
  Et me clam laniet, meque, meosque sales.
Obticeat, ni se laniavero clamve, palamve,
  Inque suas maculas ipse trilinguis ero.

## *Ad Crispum, quòd suas laudes intermiserit Rustico cacante.*

Arbor inest medio viridis gratissima campi,
  Limpidus hinc constat rivulus, inde nemus.
Hanc avis adventat, pulcrâque sub arbore cantat,
  Lenitur sonitu lucus et unda suo.

Heic de more aderam, versus dictare parabam,
Astiterat calamo Clio vocata meo.
Crispe tuos coepi sanctos describere mores,
Quive vales prosâ, carmine quive vales.
Utque tuâ summus sis civis in urbe futurus,
Ut meritum virtus sitque habitura suum.
Rusticus intereà satur egesturus in herba,
Se fert, contigua pallia ponit humo.
Mox aperit bracas, coleos, atque inguina prodit,
Leniter et nudas verberat aura nates.
Inflectit genua, ac totum se cogit in orbem,
Imposuit cubitos crure, manusque genis,
Postera jam talos contingere crura videntur,
Se premit, et venter solvitur, inde cacat.
Tunc ex vocali ventosa tonitrua culo
Dissiliunt, strepitu tunditur omnis ager;
Excutior, calamus cecidit, Dea cessit in auras,
Ad crepitum trullae territa fugit avis.
Deprecor ut primas plantes, male Rustice, vites,
Postmodo sat sitiens non sua vina bibas.
Rustica sulcatae summittas semina terrae,
Nec panem esuriens, nec miser esse queas.
Ergo vale, et tum, cùm concinna revertitur ales,
Jam pergam laudes scribere, Crispe, tuas.

## *De Precibus pulcra Homeri fictio.*

Preces, ut tradit Homerus, Divae sunt, et puellae magni Jovis, hae et claudae, et lippae sunt, his-

que Ἄτης praevenit, idem nocumentum, quae sanis ac validis pedibus constat, et longe anteit, nocens hominibus per omnem terram. Preces verò post sequuntur. Qui autem veneratur puellas Jovis prope venientes, maxime illum quidem vivere, et rogantem exaudiunt. Qui verò eas adspernatur, ac durè repellit, orant, abeuntes, Jovem, uti hunc insequatur nocumentum, et damnatus, det poenas.

*PRECES igitur oratum mittit AURISPAM Siculum, ut sibi Marcum Valerium MARTIALEM commodet.*

Ite preces, natae magni Jovis, en praeit Ἄτης
  Ἄτης, quae nobis praevia monstrat iter.
Si multum validis nocumentum passibus anuit,
  Ite citae lyppae, loripedesque preces;
Ivit Ate, cuivis omnem nocitura per urbem,
  Ite citae vestris gressibus, ivit Ate.
Est Florentinâ celebris tellure poëta,
  Quem numerat genitis Sicilis ora suis;
Illius ex lepido cantant Heliconides ore,
  Illius ex digitis pulsat Apollo chelin.
Non peperit Latium, non Graecia mille per annos
  Eloquio similem, vel probitate virum.
Illi ego non parvo jampridem jungor amore,
  Jampridem nobis mutuus extat amor;
Hunc petite, hunc vigili vos offendetis in aede,
  Cantantem altisonis regia gesta modis.

Hunc igitur magni Jovis exorate puellae,
Per si qua est scriptis fama futura suis;
Ut mihi concedat perrara epigrammata Marci,
Illa libens relegam, restituamque libens,
Si facilis Divae coram venientibus extet,
Et meritus vobis exhibeatur honos,
Atque adjutrices hunc exaudite rogantem,
Sitis et huic placidae, parque referte pari.
Quod si vos nihili faciat, duréque repellat,
Poscite confestim turba repulsa Jovem.
Hunc ut terribili nocumentum voce sequatur,
Et damnas poenas detque luatque graves.

## *Ad* Cosmum *Virum clarissimum, de libri divisione.*

In binas partes diduxi, Cosme, libellum
Nam totidem partes Hermaphroditus habet.
Haec pars prima fuit, sequitur quae deinde secunda est,
Haec pro pene fuit, proxima cunnus erit.

## *Ad* Cosmum *Virum clarissimum, quando et cui legere libellum debeat.*

Hactenus, o patriae decus indelebile, panxi
Convivae, quod post prandia, Cosme, legas.
Quod reliqui est, sumptâ madidis sit lectio coenâ,
Sicque leges uno carmina nostra die.

*Hermaphroditi libellus primus explicit feliciter.*

*Incipit secundus ad* Cosmum *Florentinum, ex illustri Medicorum progenie Virum clarissimum.*

## Poggius plurimam salutem dicit Antonio Panormitae Siculo.

Johannes Lamola, adolescens, ut percaepi, cùm doctus, tùm studiosus tui, attulit ad nos libellum Epigrammatum tuorum, quem inscribis *Hermaphroditum*, opus et jocosum, et plenum voluptate; hunc, quum legisset primò, vir clarissimus Antonius Luscus, multisque verbis collaudasset et ingenium et facilitatem dicendi tuam, nam liber est suavissimus, misit deinde illum ad me legendum. Delectatus sum mehercule varietate rerum, et elegantiâ versuum, simulque admiratus sum, res adeò impudicas, adeò ineptas, tam venustè, tam compositè, à te dici, atque ita exprimi multa turpiuscula, ut non enarrari, sed agi videantur, neque ficta jocandi causâ, ut extimo, sed acta existimari possint. Laudo igitur doctrinam tuam, jucunditatem carminis, jocos, et sales, tibique gratias ago pro portiunculâ meâ, qui latinas musas, quae jamdiu nimium dormierant, à somno excitas. Pro caritate tamen, quâ omnibus debitores sumus, unum est quod te monere et debeo et volo, ut scilicet deinceps graviora quaedam mediteris; haec enim, quae adhuc edidisti, vel aetati concedi possunt, vel licentiae jocandi. Ita et Vir-

gilius adolescens lusit in Priapeia et ii praeterea qui post lascivos versus, severioribus vacarunt. Ut enim Terentius noster refert, haec aetas aliam vitam, alios mores postulat. Itaque tuum est jam missam facere lasciviam et res serias describere, ne arguatur vita impura, libelli obscoenitate. Scis enim non licere idem nobis, qui christiani sumus, quod olim poetis, qui Deum ignorabant. Sed fortasse sus Minervam; tu ipse hoc idem sentis, quod laudo proboque, et te ad majora hortor. Haec bono animo accipias rogo. Ego enim tuus sum; tu Poggium adscribe in tuis. Plura scripsissem, si per otium licuisset; verùm aliàs erimus longiores, si haec non displicuerint tibi. Vale, et me, quando id mutuum fieri intelliges, ama. Romae III. Non. Apriles, manu festinâ.

*Haec epistola legitur in editione operum Poggi, curante Thomâ Aucupario.* Argentinae, apud Joan. Schottum, 1513, in-fol. pag. 61.

# HERMAPHRODITI

## *LIBELLUS SECUNDUS.*

AD COSMUM FLORENTINUM,

*ex illustri progenie Medicorum Virum clarissimum.*

*Quòd civili juri operam dare, et meritò, pergit; quum hac tempestate non sit quisquam remunerator Poetarum.*

COSME, vir Etrurias inter celeberrime terras,
Si sileas, videor velle videre tuum.
Malles posthabitis jam jam lusuve, jocoque,
Clausissem forti strenua bella pede.
Ut tu magnanimus, sic et permagna cupiscis,
Hei mihi, sed nostro tempore Caesar abest;
Heic tibi sit largo pro Caesare gloria dices,
Sed tales epulas non meus alvus edit.
Laurea sit cuivis, dum sit domus aurea nobis,
Auratam facient aurea jura domum.
Dant lites requiem, donant chyrographa nummos.
Hoc lex dat, voces gloria sola dabit.
Haec alit, haec fatuas dumtaxat inebriat aures,
Scilicet et venter carior aure mihi est.

Famaque quantalibet veniat post funera nobis,
Excipiam nullos mortuus aure sonos.
Ergo sequor prudens leges ac jura Quiritum,
Prostituo prudens verba diserta foro.
Quum vacat officio legali, ludrica condo,
Dum bibo, quae nobis immeditata fluunt.
In mensa nequeunt heroum gesta reponi,
Non sunt implicitae praelia mentis opus.
Sit mihi Maecenas, claros heroas et arma
Cantabo, et nugis prae fera bella feram.

### *Ad Puellas castas.*

Vos iterum moneo castae nolite puellae
Discere lascivos ore canente modos;
Nil mihi vobiscum est, vates celebrate severos,
Me Thais medio fornice blanda legat.

### *Laus Aldae.*

Si tibi sint pharetrae, aut arcus, eris Alda Diana,
Si tibi sit manibus fax, eris Alda Venus.
Sume lyram et plectrum, fies quasi verus Apollo,
Si tibi sit cornu et thyrsus, Jacchus eris.
Si desint haec, et mea sit tibi mentula cunno
Pulcrior Alda Deis, atque Deabus eris.

### *In Aldae matrem.*

Ut mihi tu claudis mater stomachosa fenestram,
Sic tibi claudatur cunnus iniqua parens.

Id tibi erit gravius, caelebs videare licebit,
  Quàm tibi si coeli janua clausa foret.

### *Laus* *Aldae.*

Alda puellarum fortunatissima gaude,
  Vincitur omnipotens igne Cupido tuo.
Alda Deas omnes, specieque, et moribus aequat,
  Sit minimè mirum si capit Alda Deos.

### *Ad Philopappam deperientem Stercoṇium Virum turpem.*

Ni te detineat Sterconus, scire volebam,
  An stomachus peni sit Philopappa tuo.
Et stomachus certè talis qui digerat Aethnam
  Albicat hiberna quum magis Aethna nive.
Quid loquor in nebulis? Qui non intelligor ulli?
  Simpliciter dicam, quid Philopappa velim.
Est puer, hunc ardes, quin deperis, et puer ille
  Sit tibi, terdecies qui nova busta bibit.
Jampridem aegrotat, cur aridus, instar aristae est,
  Et dubites vultus, larva sit, an facies?
Quamvis ipse gulâ sit longus, quum tamen offa
  Proluit os, vellet guttur habere Gruis.
Est sibi pro bello rubicundula tibia naso,
  Et patula cerebrum nare videre potes.
Cruribus atque ano densorum sylva pilorum est,
  Qua possit tutò delituisse Lepus.

Mentis multivolae est, venalis, potor, edoque,
  Diligit et tantùm munera, more Lupae.
Ille, ita me Dii ament, sic est aut turpior, ut tu,
  Proh pudor, hunc plusquam viscera, coecus amas.
Nescio quem vulgus dicat flagrasse lucernam,
  Derisi quondam, sed modò vera putem.
Non erat iu populo formosior alter Etrusco,
  Non erat Italico gratior orbe puer.
Coecus amor plerum mortalia pectora coecat,
  Nec nos à falsis cernere vera sinit.
Cur edat ille fimum vulpes quaesivit asellum,
  Nam memini, dixit, quod fuit herba fimus.
Sic puto tu referes cuivis fortasse roganti,
  Diligis hunc ideò, quod tener ante fuit.
Coecus es, et credis me cassum lumine coram
  Stercorum eximiis laudibus usque ferens.
Crura licèt pueri bombicia, lautaque dicas,
  Crura tamen siccae pumicis instar habet.
Jam modo crediderim te verpum posse Priapum,
  Scilicet et Lybicas accubuisse feras.
Immanem ergo fovet stomachum tua mentula, verùm
  Nil videt, usque oculos ederit illa suos.

## *Ad Aurispam de Ursae vulvâ.*

Eequis erit, vir gnare, modus, ne vulva voracis
  Ursae, testiculos sorbeat usque meos?
Ecquis erit, totum femur haec me suggat hyrudo,
  Ne prorsus ventrem suggat ad usque meum?

Aut illam stringas quâvis, Aurispa, medelâ,
  Aut equidem cunno naufragor ipse suo.

## *Aurispae responsio.*

Si semper tantus spiraret in aequore factor,
  Neminis ut nasus littora ferre queat,
Quis vel in Adriaco, Scithyco quis navita posset,
  Aut in Tyrreno naufragus esse mari?
Et tu ne timeas, nam, quum magis arrigis, Ursae,
  Quum magis cupias, vulva repellet olens.
Haec flat ita horrendum, quod pingue et putre cadaver,
  Ursae cum cunno, Lylia pulcra foret.
Haec flat ita, ut merdis si quisquam conferat inguem,
  Sit violae, et suaves multa cloaca rosae.
Sin tuus hunc talem non horret nasus odorem,
  Ut sit tunc vulvae strictior Ursa, dabo.

## *Ad Ursam flentem.*

Quid fles? En nitidos turbat tibi fletus ocellos,
  Quid fles? ô lacrymis Ursa decora tuis.
Fortè quod adversùs te acciverit ira Camoenas,
  Aut mihi quod tu scis non adamata putes?
Crede mihi mea lux, tantùm te diligo quantùm
  Non magis ex animo quisquis amare queat.
Tu quoque me redamas, dubium est qui vincit amore,
  Alter utram vincit, vincitur alter utrâ.
Cur igitur credis vitio qui ductus iniquo,
  Inter nos rixam dissidiumque cupit?

Juro per has lacrymas et crura simillima lacti,
Perque nates molles, et femur, Ursa, tuum;
Quod nunquam, nisi quae te laudent, carmina feci,
Sic sit versiculis gratia multa meis.
Ah pereat, quaeso, tibi qui mendacia dixit,
Ah pereat falsum qui tibi cumque refert.
Terge tuos fletus, sine te dissabier, Ursa,
Parce mihi, luctu torqueor ipse tuo.
Tandem siste tui lacrymas, curaque salutem,
Namque ego te dominâ sospite, sospes ero.

## *De pœna infernali, quam dat Ursa auctori superstiti.*

Si calor et faetor, stridor quoque sontibus umbris
Sint apud infernos ultima poena locos,
Ipse ego Tartareas, dum vivo, profero poenas,
Id mihi supplicium suggerit Ursa triplex.
Nam sibi merdivomum stridit, resonatque foramen,
Fervet, et Ursa femur, putet et Ursa pedes.

## *In Hodum mordacem.*

Quod genium, versusque meos relegisve, probasve,
Gratum est, quod mores arguis, Hode, queror.
Crede, velim nostrâ vitam distare papyro,
Si mea charta procax, mens sine labe mea est.
Delicias pedibus celebres clausere poëtae,
Ac ego Nasones, Virgiliosque sequor.

## EPITAPHIUM

### *Erasmi Biberii, ebrii.*

Qui legis Erasmi sunt contumulata Biberi
  Ossa; sub hoc sicco non requieta loco.
Eripe, vel saltem vino consperge cadaver,
  Eripe, sic quaeso sint rata quaeque voles.
Ossa sub Oenophoro posthac erepta madenti,
  Conde, natent, temeto fac, requietus ero.

### *Ad amicum carum, quod sui causâ Pistorium se conferat.*

Salve vir populo spes certa ac maxima Tusco,
  Salve, praeclaros inter habende viros.
Salve quod longos si sis provectus ad annos,
  Tempora Phoebeâ virgine cincta feres.
Accipe si sileam tibi rem fortassis emendam,
  Quaeque animo nil non sit placitura tuo.
Nuper apud molles Senas fit pestifer aër,
  Quo fit, ut ipse petam Pistoriense solum.
Sunt aliae Etruriis potiores montibus urbes,
  Sed tu non alios incolis ipse locos.
Si modo Pistorii, Romam vidisse fatebor,
  Quum magis illa armis floruit aucta suis.
Intereà paticam mihi, dulcis amice, puellam
  Delige, quae vernas expuat ore rosas;
Neve sit exiguus toto sub corpore nevus,
  Sit quoque cui tenerum spiret amoma femur.

Digna sit affectu, suavem quae novit amorem,
  Quae velit et flammis reddere grata vices.
Mersilit in vitium, vivens in amore jocisve
  Praeque proco cupiat posposuisse colos.
Divitibus vates praeponat carmina gazis,
  Sit pro versiculo vilis arena Tagi.
Denique sit pro quâ sic possim dicere, verè
  Pace Dei dicam pulcrior illa Deo est.
Illam ego continuò nostris celebrabo Camoenis,
  Carmina si placeant, carmina mille dabo,
Quae si pro numeris ferat osculâ, carmina condam
  Qualia Vïrgilium composuisse putes.
Nec mihi Castalios latices petiisse necesse est,
  Sit mihi Castaliis falsa saliva liquor,
Haec ego praestiterim, tu tamen quaerito nympham,
  Quae thyaso et cantu docta sit ante alias.
Tandem perpetuâ salve mens digna salute,
  Quum tua nimirum sit mea penè salus.

## *Ad* SANSEVERINUM, *ut versus facere pergat.*

Sanseverine, tuam legi bis terque Camoenam,
  Et placet, et nullo claudicat illa pede.
Dii simulac facili praestant tibi pectora venâ,
  Hortor Pierios condere perge modos.
Res sanè egregia est, mortalia fingit et ornat
  Pectora, post obitum miscet et illa Deis.

14 Te duce me actutum vises Parnasia tempe,
Deque sacro, pleno pectore, fonte bibes.
Nec te destituam, modò tu consortia vites,
Cum rudis atque hebetis, tum rudis atque hebetis.
Crassa quidem ruditas parvo te polluet usu,
Inficietque tuos transitione sinus.

### 15 *Ad* MATHIAM LUPIUM *claudum.*

Lupius abs poscis me rara epigrammata Marci?
Concedam; rectis passibus ipse veni.

### *In eundem Grammaticum.*

Tres habet arcanâ Matthias Lupius aulâ
Discipulos, unus de tribus est famulus.

### *Pro M.* SUCCINO *ad L.* MAURAM.

Pulcrior argento es, sed eris formosior auro,
Si bona reddideris verba, benigne puer.
Est pia vestra domus, fratres, germana, parentes
Sis pariter mitis, si pia tota domus.
Est tua forma decens, mens sit quoque pulcra licebit,
Convenient formae reddita verba tuae.
Conservare viros perituros regia res est,
Haec nos coelitibus res facit esse pares.
Ast ego Castalio deducam fonte sorores,
Quae formam et mores, et tua facta canant.
Quid melius musâ tribuam? Quid carmine majus?
Si potius quid sit carmine posse, dabo.

Quem sacri vates voluere, est fama perennis,
Tu quoque, ni fallor, carmine clarus eris.
Namque ego doctiloquo vivaces carmine reddam
Semper amicitias, sit modò vita, pias.
Quippe boni de te capiant exempla minores,
Gaudebunt actus saepe referre tuos.
Lux mea, Maura, vale; tibi, meque, meamque Thaliam
Dedo, velis uti, lux mea, Maura, vale.

## *Pro Marco Succino orat, et ut speret de L. Maura exhortatur.*

Dii faciles, incoepta precor, Succine, secundent,
Cum puero fautrix sit Cytherea suo.
Ut responsa hilari sint convenientia formae,
Et reddat pulcer verbula pulcra puer.
Est pia tota domus, frat res, germana, parentes,
Nescio quin speres, si pia tota domus.
Ipse pios longe superat pietate propinquos,
Nescio cur patri Maura sit absimilis.

## *In Mathiam Lupium.*

Lupius in pueros si quis screat, intonat: idem
Dum comedit, pedit, quum satur est, vomitat.

## *In Lentulum mollem.*

Si neque tu futuis viduas, neque, Lentule, nuptas,
Si tibi nec meretrix, nec tibi virgo placet;

Si dicas, quod sis calidus, magnusque fututor,
  Scire velim, mollis Lentule, quid futuas.

## EPITAPHIUM

### Martini Poliphemi, *Coci egregii.*

Siste, precor, lacrymisque meum consperge sepulcrum,
  Hac quicumque studens forte tenebis iter.
Sum Polyphemus ego, vasto pro corpore dictus,
  Martinus proprio nomine notus eram;
Qui juvenes studiis devotos semper amavi,
  Quem liquet et famulos, et superasse coquos.
Nunc ego funebri tandem spoliatus honore,
  Thure carens, summâ sum tumulatus humo.
Me Mathesilanus tempesta in nocte recondi
  Jussit, et exequias luce carere meas;
Nec cruce, nec cantu, celebrávit nostra sacerdos
  Funera, nec requies ultima dicta mihi.
Clamque fui sacco latitans, raptimque sepultus,
  Nec capiunt coleos arcta sepulcra meos;
Dum feror obstupui, timuique subire latrinas,
  Nec loca crediderim religiosa dari.
Oro pedem adjectâ claudas tellure, parumper
  Qui patet, heu vereor ne lanient catuli.
Continuò Domini complebo ululatibus aedem
  Infaustis, poenas has dabit ipse suas.

### *Laus Aurispae,*
### *ad Cosmum Virum clarissimum.*

Si quis erit priscis aequandus, Cosme, poetís,
Et si cui Phoebus, Pieridesque favent.
Si quis, quum loquitur, vel splendida facta reponit,
Mercurium dices ejus ab ore loqui.
Quive alios laudet, quum sit laudabilis ipse,
Quive hederâ meritò tempora nexa ferat.
Si quis erit linguae doctus Grajae, atque Latinae,
Si non Aurispa est hic, periisse velim.
Quisquis in hoc mecum non senserit, arbiter aequus
Non fuit, aut certè Zoilus ille fuit.

### 23 *Ad Galeaz, quem orat ut sibi Catullum inveniat.*

Ardeo, mi Galeaz, mollem reperire Catullum,
Ut possim dominae moriger esse meae.
Lectitat illa libens teneros lasciva poëtas,
Et praefert numeros, docte Catulle, tuos.
Nuper et hos abs me, multà prece, blanda poposcit,
Forte suum vatem me penes esse putans.
Non teneo hunc, dixi mea lux, mea Nympha, libellum,
Id tamen efficiam, forsan habebis opus.
Instat et omnino librum me poscit amicum,
Et mecum gravibus nunc agit illa minis;
Quare ego per Superos omnes, ô care sodalis,
Sic precibus lenis sit Cytharea tuis;

Te precor, atque iterum precor, id mihi quaere libelli,
  Quo fiam nostrae gratior ipse Deae.

## 24 *Matthiae Lupii sententia ad Balbum.*

Balbe scias calidi quae sit sententia Lupi,
  Quàm modò versiculis prosequar ipse meis.
Si saepe efflictum cupiat mea mentula cunnum,
  Interdum adfectet cruscula cauda salax;
Non tamen unquam adeò delira, aut plena libido est,
  Ut popisma palam, cumve cohorte rogem.
Nolim cum populo compedicare jacintum,
  Cum multis ipsam non Helenem futuam.
Sic ait: Id digito dictum tibi, Balbe, ligato,
  Et clam pedico, clamve fututor agas.

## *Ad Memmum de partu L. Nymphae.*

Quum modò per dominae vicum mihi transitus esset,
  Haec ego pro Nymphâ parturiente precor.
Nunc age, nunc, Lucina, meae succurre puellae
  Quae parit, atque aliquem jam paritura Deum est.
Ah dolor, en clamat supplex tua numina poscens,
  Vocibus et lacrymas addit amara suis.
In me Dii luctum Dominae transferre velitis,
  Etsi me miserum non minor angor habet.
Quid cessas? Est diva tibi laus maxima, si tres,
  Incolumi Nymphâ, restituisse potes.
Hei mihi, ne superi, si in te mala fortè rogarim,
  Audierint, votis et cruciere meis.

Parcite moratam superi laesisse puellam,
Et facite, ut veniant in caput illa meum.
Quin vereor, neu te dudum Venus effera vexet,
Sicque tua poenas impietate luas.
Cernis ut ultricem durum est offendere divam?
Ergo tuo mitis sit facilisque proco.
Quid tardas, Lucina? Veni faustissima Nymphe,
Lenis io Nymphe, prospera diva veni.
Postmodò solemnes certè tibi construet aras,
Imponetque tuis menstrua thura focis.
Haec ego; sed quoniam Dea sit tibi promptior, oro.
Ipse tuas praestes, splendide Memme, preces.
Nil dubito, quin fortè dato, votisque peractis
Exsolvet partus molliter illa suos.

## *De suo occulto amore.*

Uror, et occultè rodunt praecordia flammae,
Oh ego si sileam terque quaterque miser.

## *In Matthiam Lupium Virum ignavum.*

Aoniâ rediens Matthias Lupius orâ,
Castalidum steriles nuntiat esse lacus.
Et siccas laurus, nullam et superesse puellam,
Singula contatus comperit esse nihil.
Impuri nequeunt oculi spectare sorores,
Scilicet, ignavis Pegasis unda latet.

### *Pro* CENTIO *ad* CONTEM, *ut ex rure redeat.*

Contius hanc viduâ tibi mittit ab urbe salutem,
  Lux mea, mi Contes, dimidiumque animae.
Quid mihi laetitiae superest, ubi rura petisti?
  Spiritus est membris visus abire meis.
Id mihi laetitiae tantum est: puer urbe remansit,
  Inque suos vultus conspicor ipse tuos.
Ne fuge, care puer, sine te germane videri,
  Dumque agit in sylvâ, ne fuge, care puer.
Plura velim, sed plura loqui dolor impedit, ergo
  Vivere si cupias me, citò rure redi.

### *Ad* LENTIUM *foeneratorem, ut* PLAUTUM *commissum habeat.*

Hunc tibi, quàm possum, Plautum commendo, Lenti,
  Plautum, quem vocitat lingua latina patrem;
Haud de te modicum, vates oboleverat aetas,
  Te modò pernicies altera foenus edit.

## EPITAPHIUM

### NICHINAE *Flandrensis, scorti egregii.*

Si steteris paullum, versus et legeris istos,
  Hac gnosces meretrix quae tumulatur humo.
Rapta fui è patriâ teneris pulchella sub annis,
  Mota proci lacrymis, mota proci precibus.

Flandria me genuit, totum peragravimus orbem,
Tandem me placidae continuere Senae.
Nomen erat, nomen notum Nichina, lupanar
Incolui, fulgor fornicis unus eram.
Pulcra decensque fui, redolens, et mundior auro,
Membra fuere mihi candidiora nive.
Quae melior nec erat Senensi in fornice Thais,
Gnorit vibratas ulla movere nates.
Rapta viris, tremulà figebam basia linguâ,
Post etiam coitus oscula multa dabam.
Lectus erat multo et niveo centone refertus,
Tergebat nervos officiosa manus.
Pelvis erat cellae in medio, qua saepè lavabar,
Lambebat madidum blanda catella femur.
Nox erat et juvenum me sollicitante catervâ,
Substinui centum non satiata vices.
Dulcis, amoena fui, multis mea facta placebant;
Sed praeter pretium, nil mihi dulce fuit.

## 31 *Optat pro* NICHINA *defunctâ.*

Oro tuum violas spiret, Nichina, sepulcrum,
Sitque tuo cineri non onerosa silex.
Pieriae cantent circum tua busta puellae,
Et Phoebus lyricis mulceat ossa sonis.

*Conqueritur quòd, propter pestem, à Dominâ amotus sit.*

Quando erit, ut Senas repetam, Dominamque revisam?
Me miserum molli pestis ab urbe fugat.

*Laus Cosmi Viri clarissimi.*

Cosme, quis est Latiis vir felicissimus oris,
Conjugio, gazis, prole, parente, domo?
Quis patriae spes est, quis sanguine clarus avito?
Vates quis priscos servat, amatque novos?
Pace quis Augustus Caesar, quis Julius armis?
Quis fiet mirâ pro probitate Deus?
Cosme, quis hic est, aut certè tu, Cosme, vir hic es,
Aut certè quis sit nescio, Cosmus es hic.

*Auctoris discipuli versus ad L. Mauram, quòd non servet promissa.*

Cur non, Maura, venis? Cur non promissa, fidemque
Solvis? cur nullò pondere verba refers?
Nam memini dixti nobis venientibus ex te,
Ite alacres. Cras hinc vos petiturus ero.
Cras venit, nec te aereâ deducis ab arce;
Cras it, nec tu nunc, perfide Maura venis?
Quod si nos flocci facias, et ludere jam fas
Esse putas, noli spernere, Maura, Deos.
Maura Deos temnit, juravit numina divûm,
Quod nos paganico viseret ille loco.

Maura Deos temnit, memores fandi atque nefandi
  Spernit, et ille viros spernit, et ille Deos.
O levior foliis, avium ventosior alis,
  Foemineum et turpe est fallere sic alios.
Si te, Maura, juvat me fallere, falle, sed illum
  Carmine, qui claret ludere, Maura, cave.
Tu vatem et nomen, verùm non dogmata nosti,
  Nosse, capesse citò, carmine doctus eris.
Non mercede docet quemquam, non indigus auro est,
  Virtutis solùm motus amore docet.
Me docuit doctor doctissimus edere versus,
  Perdidici, et nunc jam carmina nostra legis.

## *Ad libellum ne discedat.*

Quid vis, invito domino discedere, quid vis,
  Quis te de nostra dejicit aede liber?
Quò fugis infelix? Degunt ubi mille Catones,
  Mille quibus tantùm seria lecta placent.
Cum censore miser rigido laedere, rubesces,
  Quumve minus poteris laese, redire voles.
Vana tui, quaeso, domini praesagia sunto,
  Sitque timor vanus, thusque, piperque teges.
Et verum auctoris rogitet si nomina lector,
  Immemorem nostri nominis esse refer.

## *Caballus fame periens de Lelpho Lusco domino conqueritur.*

Si qua tuus queritur, cupidissime Lelphe, caballus,
  Da veniam, macies cogit, et alta fames.
Pulcer eques certe, velox, pinguisque fuissem,
  Pectora quàm sint et fortia, et ampla, vide.
Aptaque sint videas quàm cetera membra, peraeque.
  Quod natura dedit, sumpsit avara manus.
Ah quotiens phaleris tectus fera bella subissem,
  Ah quotiens cursus praestitus esset honos.
Rodo nihil, rodit sed nostras inedia vires,
  Non etiam nostris dentibus herba datur.
Vix mihi dàt noster paleas aliquando dominus,
  Barbariem metro barbarus ille dedit.
Turpe quidem dictu, sed cogit turpia fari,
  Turpis herus, proprio stercore pascor ego.
Stercore pascor enim, sed stercore pascimur ambo,
  Nam tu ne comedas, non, vir avare, cacas.
Neve bibas etiam, non meiere, Lelphe, videris,
  Extitit, ut perhibent, dira Celeno parens.
Sella carens lanis, quae fecerit ulcera dorso,
  Lusce, vides, caudae vulnera, Lusce, vides.
Cur equitans aspris calcharibus ilia fodis?
  Si vix sat plane debilis ire queam.
Cur agilis vis dem crudelis in aëra saltus?
  Tibia si nequeat lassa movere pedem.

Ipse quidem collo mallem vectare quadrigas,
Degere quàm miseri sub ditione viri.
Ocius affectem pistrino, Lelphe, dicari,
Sub te funestam quàm tolerare famem.
Vera quis haec credat? Nisi credunt vera molares,
Ferrea sunt longà fraena comesa fame.
Ordea cornipedi dulcis datur esca caballo,
Sorbuit hos nunquam, sed mea bucca cibos.
Vera loquar, verùm quis possit credere, ventrem
Dumtaxat vento vivere posse meum?
Est mihi, vae misero, macies incognita toto
Corpore et infractis artubus ossa sonant.
Sim licèt informis, simque aridus, hoc magè malim,
Quàm Lelphus vacui pectoris esse velim.
Est Lelphus rationis inops, et mentis egenus,
Corpus ei, ut sus trux efferitate riget.
Quum loquitur, boat, ut bos, et flat putor ab ore,
Ut dubius perstes culus, an os loquitur.
Quum ridet fauces inhiant, ut asellus hiascens,
Fit mihi de risu nausea saepe suo. [ heu,
Plura equidem quererer, quoniam sunt plura, sed heu
Lingua loqui plus nunc debilitata nequit,
Jam morior, socii, stabulum, praesepe, valete,
Me miserum, videor debilitate mori.
Vos procul ite ferae, procul hinc vos ite volucres,
Quo ruitis, modò vos pellis, et ossa manent.
Plaudite, nam Lelphum luscum mandetis avarum,
Ille crucis poenas furcifer ille dabit.

## *Ad Libellum, ut Florentinum lupanar adeat.*

Si domini monitus parvi facis, i, fuge, verùm
  Florentina petas moenia, parve liber.
Est locus in media, quem tu pete, festus in urbe,
  Quòve locum possis gnoscere, signa dabo.
Alta Reparatae scitare palatia divae,
  Aut posce agnigeri splendida templa Dei.
Heic fueris, dextram teneas, paulumque profectus,
  Siste, vetusque petes, fesse Libelle, forum.
Heic prope meta via est, heic est geniale lupanar,
  Qui sua signa suo spirat odore locus.
Huc ineas, ex me, laenasque, lupasque saluta,
  A quibus in molli suscipiere sinu.
Occurret tibi flava Helene, dulcisque Mathildes,
  Docta agitare suas illa, vel illa nates.
Te viset Jannecta, suâ comitante catellâ,
  Blanda canis dominae est, est hera blanda viris.
Mox veniet nudis, et pictis Clodia mammis,
  Clodia blanditiis, grata puella suis.
Galla tuo peni, vel cunno, nam tibi uterque est,
  Iniciet nullo tacta rubore manus.
Annaque Theutonico tibi se dabit obvia cantu,
  Dum canit Anna recens afflat ab ore merum.
Te quoque conveniet crissatrix maxima Pitho,
  Qua cum deliciae fornicis Ursa, venit.

Teque salutatum transmittet Thaida vicus,
Proximus occiso de bove nomen habens.
Denique tam celebri scortorum quidquid in urbe est,
Te petet adventu laeta catena tuo.
Heic obscoena loqui, simul, et patrare licebit,
Nec tinget vultus ulla repulsa tuos.
Heic quod et ipse potens, quod et ipse diutius optas,
Quantumvis futues, et futuere, liber.

## 38 *Ad Cosmum, Virum clarum, de libri fine et dedicatione.*

Cosme, vale, vatum spes et tutela novorum,
Jamque suos fines Hermaphroditus habet.
Quum nequeat majus, nam turbant ocia curae,
Hoc tibi, quodcumque est devovet auctor opus.

*Hermaphroditi Libellus secundus et ultimus explicit feliciter ad Cosmum Florentinum virum clarissimum vale.*

*In fine codicis membranacei, in-4°. Bibl. Mediceae, Plut. 67. cod. 63. subjicitur:*

## Antonii Panormitae *laus Elysiae incipit.*

Elysia auricomas inter celeberrima Nymphas,
Quae formae aut animo laus erit apta tuo?

Colla nives, et labra rosas, et lumina vincunt
  Sydera, culta Helene, nuda, Diana Dea es.
Quum loqueris, quamvis rara, et pauca loquaris,
  Sola tamen digna es, multa loqui atque loqui.
Quid loquar artifices digitos! quid pensa? quid artes?
  Et quibus evitas otia, mille modos;
Inter opus tantum dulce, o dulcissima cantas,
  Et cantu nolens pectora multa capis.
Nam saltu licet ipsa lyrae, licet ipsa choreae
  Sis decus, ad thiasos rara vocata venis.
At si quando venis, paulum cessura labori,
  Te charites sociant, te comitatur amor.
Quacumque incedis, spirant violaeque, rosaeque,
  Incedis noctu, nox fit, et illa dies.
Quidquid habent omnes Divi, Divaeque decoris,
  Quidquid habent laudis, tu quoque laudis habes.
Hoc etiam foelix, quod formosissima pulcro
  Scilicet et casto casta puella places.
Ista puellarum decus es, decus ille virorum,
  Clari ambo, et claris moribus, ambo pares.
Ambos ergo Deus longaevos servet in annos,
  Saepius et timidos jungat utrumque Venus.

*In codice XXII. Plut. XXXIII. ejusdem Biblioth. membr. in-4°. post titulum lib. II, Hermaphroditi occurrit* Antonii Panormitae responsio ad superiorem Poggii Florentini epistolam, *quae ita se habet.*

## EPISTOLA AD POGGIUM.

Epistolae tuae, quae veterem sane, et antiquum illum eloquentiae Romanae morem, prae ceteris, meâ sententiâ exprimunt, ad me, ut jusseras, perlatae sunt. Eas, tametsi auctorem obticuisses, abs te tamen pro singulari quâdam earum elegantiâ profectas animadverterim. Habent enim epistolae tuae, nescio quid excelsum, suave, acre, opulentum, grave, atque ea quidem, insigniter, ut qui tuas illas esse dubitarit, auctorem quoque, praeter te, non inveniat, oportebit. Oblectarunt me itaque et effecerunt, cum ob alias causas, tum vel maxime, quod opusculum meum tibi non injucundum extitisse significas; nec non Antonii Lusci poetae non obscuri judicio laudatum, probatumque. Qua quidem ex re mihi, atqne meo libello plurimum gratulari licet. Mihi quidem, quia locupletissimos hos mihi laudatores compererim, qui pro eorum singulari eloquentia queant ex fumo fulgorem exhibere, atque ipsum, si modo velint, Thersitem, vel quemvis alium abjectissimae conditionis virum, illustri laude perspicuum reddere. Libello autem quia in doctissimorum hominum manus tandem pervenerit, quos certus equidem eram minimè reprehensuros fore lasciviam ejus: quippe quum plurimos norint viros doctos, graves, sanctos, et Graecos, et nostros talia scriptitasse, atque inter manus adhuc versari Catullum, Albium Tibullum, Propertium, Junium Juvenalem, M. Valerium

Martialem, et prius P. Virgilium, P. Nasonem, poëtas egregios et latinos, qui plerumque verba adeò nuda proferunt, et dictu foeda, ut haud scias, scenae ne magis, ac lupanari digna sint. Ego, vir humanissime, tot summos oratores, tot summos viros, memoriae proditum comperio, se hoc generis studio et oblectasse, et exercuisse, ut ignorem medius fidius qui se non oblectarint, et exercuerint. Nam ipsum philosophorum principem Platonem, non quidem christianum hominem, sed qui Deum non ignoraverit, immo unum Deum servaverit, ceteros verò Angelos vel Demones dixerit constat, versus, et quidem petulantes fecisse in Astera, in Alexim, in Phaedrum, pueros. Item et de Dyone Syracusano, et generaliter ejus nonnisi versus molles et amatorios extitisse; ê quibus hos tantum hoc loci commemorem, quàmvis aliquanto licentius liberiusque ex Graeco in Latinum conversos. Tu Platonem lepidissimum poetam audi. Audi, inquam, Platonem poetam lepidissimum. Dum semiulco suavio meum puellum suavior, dulcemque florem spiritus duco, ex aperto tramite anima aegra, et saucia cucurrit ad labia mihi, rictumque oris pervium et labia pueri mollia rimata, itineri transitus ut transiliret nititur. Tum si morae quid plusculae fuisset, in coetu osculi, amoris igne percita transilisset, et me linqueret. Et mira prorsum sic res moneret, ut ad me fierem mortuus ad puerum interviverem. Solonem quoque, et unum ex septem sapientibus habitum, et severum virum, et verum philo-

sophum fuisse, nemo est qui nesciat. Attamen eum similiter versus lascivissimos edidisse palam est. Item Diogenem Cynicum, Zenonem Stoicum, Theium Lacedemonium, Callimachum, in quibus vel praecipuè numeranda est Sapho Lesbia, cujus versus, qui etiam latini extant ad Phaonem Siciliensem amatorem suum, adeo impudici, adeo procaces, alioquin adeo elegantes sunt, ut cuique legenti pruriginem excitent, etiam ipsi Nestori, Priamoque. Enimvero, ut Horatius in poeticis institutionibus scriptum reliquit, semper poetis atque pictoribus concessum fuit quidlibet audere licere. Quum vero lasciviam delegerint, ea lex poetis est, et verissima illa quidem, quam Catullus dixit:

» Nam castum esse decet pium poetam,
» Ipsum, versiculos nihil necesse est,
» Qui tum denique habent salem, ac leporem,
» Si sint molliculi, ac parum pudici,
» Et quod pruriat, incitare possint.

Quod et Valerius Martialis eruditissimè simul ac facetissimè probat in haec verba:

» .................. sed hi libelli,
» Tamquam conjugibus suis mariti,
» Non possunt sine mentula placere.

Ego itaque tantorum virorum exemplo, nitor, majorum praecepta custodio, denique aliquid struere studeo, quod sit in suo genere perfectum, fremat licèt hodus

nescio quis, ex ultima vulgi fece, alioquin vir malevolus, et qui nihil furiosi habet, praeter cerebrum, falsòque putet me, proinde parum pudicum, quia versiculi mei molles atque ludrici sint, quasi ut caetera bona, ita illud quoque nescierit; quod scilicet eò jucundiores sunt futuri hujusmodi versus, quò minori cum severitate compositi, atque eò sanctiores judicandi, quò apertiores sunt. Qua in re, si meo testimonio satis non fidat, Medaurensi cuidam magnae auctoritatis viro non potest non adsentiri, qui non ineleganter ait, Platonis versus, tantò pudicitius compositi, quantò simplicius professi. Dissimulare enim, et occultare peccantis, profiteri et promulgare, ludentis est. Et sanè perquàm ridiculum est eos impuros interpretari, qui spurcis verbis utantur, quom res exigat; quippe qui medendi scientià morbos curant, ii quom obscoenis partibus medicamenta adhibere volunt, obscoenis vocabulis id explicent, opus est. An idcirco eos vita obscoenos arbitrabere? Scimus Voconium poetam summâ castimoniâ praeditum fuisse; et tamen eum parem lasciviam exercuisse, satis indicat epigramma, quod divus Hadrianus in ejus sepulcro inscripsit;

» Lascivus versu, mente pudicus erat.

Rursùs quis ambigit Annaeum Senecam, Christum novisse, et apostoli Pauli amicum fuisse, et in catalogò sanctorum positum? Ceterùm, si quid Plinio Secundo credimus, non seria modò, verùm etiam lusus ac sales

descripsit. Praeterea floret hac in nostra tempestate sacerdos quidam, non minus continens quàm disertus, atque eloquens habitus, cujus, ut vulgò loquar, praedicationibus ipse adfui; et nisi surdus omnino sum, ita eum nudis ac deturpatis adfatibus excandescentem in frequentissimum populum exaudivi, ut non dicam in templo, sed ne in foro quidem adesse crediderim. An ideò illum turpem judicabis, quia turpia turpiter idem foedioribus verbis castiget? Minimè, hercule: mihi quidem, si nescis, eadem mens est et intentio. Nec refert, si per lusus ac jocos id agam; namque eo modo et nos agere posse majores nostri instituerunt, et instituta perpetuò observarunt, et sanè omnes. Nam si veterum scriptorum monumentis fides praestanda est, quicumque perlegitur, aut rerum, aut verborum simul et rerum lascivia praelusit; quorum ex nostris perpaucos nominabo, nam si singulos exequi velim, equidem scribam Horestem alterum, et in tergo scriptum, nec dum finitum necesse est. Igitur, ut Plinii verbis utar, verear ne, me non satis deceat quod decuit M. Tullium, C. Calvum, Asinium Pollionem, M. Messalamque et Hortensium, et M. Brutum, L. Syllamque ac Scevolam, Servium Sulpicium, Varronem, Torquatum, immo Torquatos, C. Maevium, Lentulum, Getulicum, Verginium Ruffum, Cornelium Nepotem, et denique ipsum Plinium? Et quos, poene praeterieram, Ennium, Acciumque? Et si non sufficiunt exempla privata, D. Julium, D. Augustinum, D. Nervam,

T. Caesarem, atque alios sanè innumerabiles. Ego verò tot, tantorumque virorum exemplo ac auctoritate fretus, non est quod verear hisce carminibus jocari, ludere, ridere; tum irasci, amare, flere, et denique remitti posse. Mirè quidem hisce opusculis animus remittitur, refovetur, et ad mira succenditur. Verùm enimvero epigrammata, quia brevia, licèt arguta sint, et quibus non copiâ, sed acumine certamus, potest inotiosus quisque perficere. Seria vero, quia continua et longa sunt, sanè, nisi ociosus securusque non potest. Quo fit, ut etsi maximè id concupiscam, serias res tamen reponere non queam in praesentiarum. Distringor equidem mille atque iterum mille occupationibus, quibus nullo pacto carere nunc possum. Si verò his quoque Deus optimus maximus sinat aliquando extricer,

Condere victuras tentem per saecula curas,
Et nomen flammis eripuisse meum.

Sed quid ego haec tecum? qui itidem, quod ego, sentis, qui pro tua eruditione facilè concedis, me, sed cum tot tantisque viris errare potuisse? Nam, quùm neque hodum, neque reliquum vulgus tanti fecerim, ut suae maledicentiae ad se se responderem, tecum id agere consilii fuit, quasi apud te virum doctissimum, et qui vulgi imperitiam satis exploratam habes, quererer, de ejus in me, meosque mores opinione, falsa praesertim. Sed jam multa satis superque satis. Redeo igitur ad epistolam tuam, ut ornatissimam, atque

officii plenam, ita mihi admodum gratam et jocundam. In qua quidem nihil legi, nihil vidi, quin aequo animo, quin laetâ fronte acceperim, praeter brevitatem. Proinde cura, ut deinceps ad me longior fias, quod tutè perhumaniter polliceris, ut intelligas, nihil mihi brevius videri, quam Poggii epistolae longissimae. Postremò me totum dedas viro Cl. Antonio Lusco compoetae meo, et vel tu soluto, et ille juncto pede, aliquid litterarum ad me exarato. Vale decus nostrum, et me, ut facis, ama; ego enim te diligo, te observo, te admiror, et equidem quàm maximè possum. Iterum vale, nec me fraudes, oro, voluptate ac vice tuarum epistolarum, quae, ut initio dixi, prae caeteris gratae, jocundae, et verè Romanae mihi visae sunt. Ex Bononia quàm cursim. Scribam posthac ad acerrimum et pereloquentem virum Nicolaum de Malpigliis, si modò festinantis, atque alacris hujus nuntii ratio permiserit; sin minus, quàm primum per alium. Tu tamen in omnem eventum ex me illi salve dicas, desiderium, sitis, et corculum. Antonii Panormitae avetote.

## DE
# RAMUSIO ARIMINENSE.

Nihil de hoc Ramusio Ariminense memoriae prodidit *Lilius Gregorius Gyraldus* in dialogo I. de poetis suorum temporum. Fuit ille, ut opinor, ex illustri *Ramusiorum* familiâ progenitus, in quâ viri plures in litteris excolendis, publicisque muneribus laudabiliter obeundis emicuere. Hos inter *Paulus Ramusius* jurisconsultus non obscuri nominis memoratur à *Marco Fuscareno* in *Letteratura Veneta* Patavii impressa typis Seminarii anno 1752, in-fol. pag. 50, qui primus relictâ patriâ Arimino ann. 1458, aetatis XV, Venetias se contulit, ibique substitit, ductâ in uxorem lectissimâ conjuge, è patriciâ *Navageria* gente, ex quâ plures suscepit liberos. *Jovita Rapicius* in opere de numero oratorio, lib. V, pag. 54, editionis Venetae ann. 1554, in-f. *Paulum Ramusium* juniorem his adloquitur verbis: » Quâ in re *Pauli* avi tui non minus humanitatem quàm nomen refers. Is enim quum juris et legum » prudentiâ nemini secundus esset, nec minus consilio, » quàm judicio excelleret, tantae tamen humanitatis » fuit, ut neminem, in quo modò vestigium aliquod » virtutis agnosceret, non amandum sibi putaret. Diem » ille clausit extremum Bergomi ann. 1506. » Idem

Fuscarenus pag. 376, et 435 agit de *Jo. Baptista Ramusio* qui antiqua monumenta manuscr. in bibliothecâ Vaticanâ studiosè collegit, quique ab *Aldo* seniore in dedicatione ad ipsum *Quintiliani* anni 1514, in-4. vir et latinis et graecis litteris et moribus ornatissimus nuncupatur. Ejus collectio inscripta: *Navigazioni e viaggi raccolti da Gio. Battista Ramusio, etc.* t. III. fol. pluries recusa per doctorum manus circumfertur. *Paulo Ramusio* juniori à Venetae reipublicae decemviris conscribendae Venetorum historiae cura est demandata, in quà quidem quantùm valuerit, luculenter ostendit idem clarissimus *Fuscarenus*, p. 289. Nec praetereundus *Hieronymus Ramusius*, vir Arabicae doctus, qui *Avicennae* quaedam dicitur latinè vertisse Damasci, cùm illic medicinam exerceret anno 1484. De eo sic *Paulus Manutius* in epistolà nuncupatorià ad *Paulum Ramusium Joannis Baptistae filium, in Caesaris* commentarios: » *Mitto* (inquit Hieronymus) *pa-* » *truum tuum medicinae, ac philosophiae studiis* » *praestantem, qui cum in Syriam eo consilio esset* » *profectus, ut Arabicis litteris imbueretur, paucis* » *annis tantum profecit, ut plerosque Avicennae li-* » *bros in linguam latinam egregiè converterit.* » Haec ex politissimo Manutio *Paulus Colomesius*, pag. 7. Italiae orientalis. Eundem *Hieronymi* laborem laudant, atque ejus codice usos se profitentur editores *Avicennae* latini ex versione Gerardi Cremonensis et *And. Alpagi* Bellunensis castigatione, Venet. an. 1608, f. 2 v.

His igitur viris clarissimis *Ramusiae* gentis accensendus est poeta noster cujus nomen in codice, ex quo carmina haec lucis adhuc expertia, diligenter descripsimus, reticetur. Codex est membranaceus in-8. oblongo, elegantissimae scripturae saeculi XV. cum titulo et initialibus quibusdam litteris auro variisque coloribus depictis, constans foliis ex unâ parte numeratis XXXII. Inscribitur autem ab auctore, qui paupertatem suam pluribus in locis deplorat, *illustrissimo Joanni Mirandulae principi, ac concordiae comiti*, cujus nomen aeternis est litterarum monumentis commendatum. Haec autem *Ramusii* carmina videntur fuisse ab eo exercitationis caussâ conscripta. *Ramusius* siquidem proponit, et *Hieronymus Donatus* respondet, qui certè *Donatus* idem ille est, de quo pluribus agit laudatus *Fuscarenus* pag. 54. 74. 292. 288. 315. quique amicitiam Politiani, *Hermolai Barbari*, *Petri Valeriani*, aliorumque doctorum virorum excoluit. Scripsit prae reliquis apologeticum ad Graecos de principatu Romano, ab eo primum graecè, exinde latinè evulgatum. Ejus elogium habes apud *Paulum Jovium* inter elogia clarorum virorum, Basileae, apud *Petrum Pernam*, 1577, fol. pag. 110.

# RAMUSII ARIMINENSIS
# CARMINA.

ILLUSTRISSIMO *JOANNI MIRANDOLAE*
PRINCIPI AC CONCORDIAE COMITI
BENEMERENTI
MER. *RAMUSIUS* PAUPER ARIMINENSIS.

---

QUID mihi si Parthus bello superare Gelonos
Tentet, et Euxinis praelia dicat Arabs.
Quid Gallus, quid Teucer agat, quid barbara tellus
Scire, quid ad curas hoc facit usque meas?
Non cupimus quemquam proprio depellere tecto,
Nec meus externas navita quaerit opes.
Sat mihi, si possum fatum deflere puellae,
Et mecum in tacito pectore multa queri.
Degere si possum, sat erit mihi paupere vitâ,
Et sat erit patriâ consenuisse casâ.
Sat, si audire sales Donati, et condere carmen,
Quod moveat risus, quod sine labe premat.
Ille sapit qui jam fugientia gaudia carpit,
Ancipitis vitae sic memor esse potest.
Tu quoque Joannes, decus insuperabile mentis
Viribus, à vultu nubila pelle tuo.
Nosse vias rerum, mentemque intendere causis,
Semper in iratum hoc est dare tela Jovem.

Si quis erit, Solem, qui immotis spectet ocellis,
Luce vacat, nimium si petit alta, cadet.
Magnarum ponas igitur discrimina rerum,
Et placido vultu dicta jocosa legas.
Donati ingenium nosces, ac mentis acumen,
Sint haec praecipiti tempore facta licèt.
Omnia non mea sunt, Donati maxima pars est
Carminis, hoc unum meus mea fecit opus.
Haec tibi, non aliis volui dare, quando disertis
Semper eris nostris gloria carminibus.
Adde etiam, sum solus amans, externus, inopsque,
Expers auxilii, consiliive simul.
Divitiis miserae poteris succurrere vitae,
Et dare anhelanti pellere posse sitim.
Haec tu si capies alacri munuscula vultu,
Accedent musae vota petita meae.

*Dum subirem artium Lauream in collegio Doctorum Rámusius pauper.*

Jupiter qui me specularis alto
Pauperem, solum, miserum, jacentem,
Inscium rerum, patriis morantem.
Longius arvis.
Quo meus vertet se animus, caputque,
Gratus ut tanti videar, memorque
Muneris? Numen placidum medullis
Insere nostris.

Nam silex facta est Niobe, lapisque,
Dum negat Divae meritos honores,
Et simul nati cecidere dulces,
Vulnere Phoebi.

Sic Aper, messes populi superbi
Stravit, ingratae regionis agros,
Hinc suum natum genitrix peredit.
Stipite adusto.

Vidimus multos Aquilone saevo,
Puppibus fractis, tetigisse portum,
Inde submersos, iterum petentes
Aequoris undas.

Aream vidi tritici repletam,
Et cados omnes nimii Falerni,
Inde te vidi, sterilis colone,
Multa querentem.

Nauta, si grates Thetidi tulisset,
Viveret, spicas Cereri colonus,
Si patri grates madidas Lyaeo,
Ferveret arvum.

In statu Divi resident superbo,
Debitos census homines reposcunt,
Optat et coelum meritos honores,
Et Stygis unda.

Pauper huic tantae Superûm coronae
Quid feram, magnum meritum rependens?
Non mihi virtus, geniusque felix,
Tollar ut astris.

Non opes Croesi tribuere nobis
  Fata, nec glebas hominis beati,
  Ut memor tanti officii viderer
    Gratus amicis.
Si Remi magni imperium dedissent,
  Arma vel fortis rigidos vel enses
  Caesaris, digno sine honore, vestrûm,
    Nullus abiret.
Ast opes postquam tribuere nullas,
  Et solo aequarunt patriam, patresque
  Fata, sint vobis faciles precamur
    Diique Deaeque.

## *Responsum* HIERONYMI DONATI.

Si tibi nullas, nec opes, nec aedes,
  Culte Ramusi, Superi dederunt,
  Nec piae fructus Cereris ferentis
    Jugera glebae;
Si tibi regnum tribuere nullum
  Fata, nec mitras, nec honoris auram,
  Membra sed cultu reparare parvo
    Res brevis urget.
Ferto fortunam patienter omnem,
  Nec velis te te penitus putare
  Pauperem, quamvis vacuos dedere
    Fatae penates.
Quippe rem quamvis tolerare parcam,
  Inter haud ponam faciles labores,

Sunt tamen vires aliquid, sacraeque
Munera mentis:
Quae tibi summus genitor Deorum
Cessit, ut posses superare multos,
Aedibus qui te superant beatis,
Divitiisque.
Omnibus rarò bona cuncta praebent
Fata, nec multi data saepe noscunt
Munera, et dives simul atque pauper
Multa queruntur.
Divites paucos legimus poetas,
Nec Tagus sacras Heliconis undas
Intrat, et nullum decorata Laurus
Parturit aurum.
Vive tranquillâ pius in quiete,
Dum licet, speres meliora semper,
Namque commendat Superis te in omni
Tempore virtus.

## Ramusius *Donato*.

Usque adeò, Donate, premor tentigine, quod ni
Auxilium praestes, mentula nostra cadit.
Nec possum dextrâ, laesa est, mihi ferre salutem,
Nec mihi sunt nummi, nec mihi pulcer Hylas.
Cunnus abest nobis, futuendi copia nulla;
Ut vivam, Venerem solve, quod asse, potes.

### *Responsum Donati.*

Non tibi posse refers aegram succurrere dextram,
Quà tua vexari mentula saepe solet.
Jam te, Ramusi, rumpi tentigine dicis,
Exigis ut solvam Thaida, quam futuas.
Miror, quod poscas foedam tibi Thaida solvi,
Uti quom possis nobiliore vià.
Dic age, num molles sunt tecum semper amici?
Hi tibi succurrant podice, vel digitis.
Si tibi tam juncti non auxiliantur amici,
Quid valet id tantae foedus amicitiae?

### *Aliud ejusdem.*

Credere qui possum, Ramusi, pauper ut emta
Tam vili possit te satiare Venus?
Non satias dices, sed onustum sublevat, auro
Dant pueri, laesa est dextera, quid faciam?
Quid facias? Numquid laeva est tibi sana, valensque,
Utare hac, alià pellice non opus est.
Si mutanda tibi Venus est, plus femina distat,
Ramusi, à puero, quàm digiti à digitis.
Non eme, quod possit gratis tibi laeva parare,
Donatum vanis exonera precibus.
Auxilium cari tunc imploratur amici,
Quom non ferre potest quis sibi solus opem.

## *Responsum Ramusii.*

Non mutare opto Venerem; placet altera, avarus
Ne des, huic causas bis quater invenies.

## *Aliud ejusdem.*

Pauperiem salibus nostram, Donate, lacessis,
Inriso nihil est paupere deterius.
Non nosti, miserum, duro qui sydere natus
In medio dulcis fonte sitiret aquae,
Unda fugit, quoniam fato mihi contigit, ut sim
Inter delitias, nec sit amicus amor.
Haud aliter quàm, qui stat circum flumina Nili,
Non audit sonitum, quem facit unda cadens.
Sic forsan de me est, videor quod semper in armis
Milvus, nec nostro pendet ab ungue cibus.
Falleris hinc certè, latitat nam floribus Anguis,
Quos libant, nec post inficiuntur, Apes.
Quin etiam semper mediis natat unca sub undis
Ancora, nec fluctu mollior efficitur.
Anne rosis obsunt spinae? miscentur amaris
Dulcia quae aegrotum saepe levare solent.
Ergo quid mecum spatiantur saepe Lacones,
Non vetita est nobis objicienda Venus.
Felices sunt qui possunt concumbere Divis,
Sed nos à gremio trudimur axe poli.
A te si petimus Gliceras, et Thaida solvi,
Quid mirum? Quid amem dives amator habes.

Auro cuncta potes, auro mihi nuda Cithera
  Quaeritur? Et nullo stat Venus axe mihi.
Paedicet quivis Irus, vel Codrus anhelo
  Corde, trahens animam, pauperiemque simul?
Ars haec patricii est: pueros qui vendicat auro,
  *Quar quid fert* hanc sino nobilibus.
Non decet, ut pauper pueros, nec barbarus ullus
  Optet, at Hesperiâ qui jacet in mediâ.
Cur non ferre queas nobis, Donate, salutem,
  Auxiliare inopi, non peto consilium.

## *Ad Ramusium Philocaptum, Donatus.*

Quod tibi nunc rubrâ caput est spectabile mitrâ
  Miratur quisquis te Philocatte videt.
Alter enim scurram, parasitum te vocat alter,
  Et nova de capite est fabula facta tuo.
At mihi nec parasitus iners, nec scurra videris,
  Sed nova, detectâ, mentula, fronte rubens.
Non aliena juvat perquirere nomina, quando hoc
  Nomen conveniens est, Philocatte, rei.

## *Responsum Ramusii.*

Me sine, si potis es jucundâ vivere pace,
  Contentus vivo, stultus, egenus, amans.
At tu, cui videor curae mea fata canendo
  Sollicitas, nobis junctior alter abest.
Fabula sum vulgi, fateor, Donate, sed esses,
  Si pauper, Codri notior historia.

Est caput hinc nostrum rubrâ spectabile mitrâ,
Quum fieri nequeam clarior ingenio:
Quod tibi si placeo, custos quum desit in horto,
Servabo domini jugera pene mei.
Sed cave, ne pueri, Venerique dicata puella,
Accedant; quoniam praeda erit ista mea.
Ut vis ipse facis, Cupido parat omnia numen,
Ast ego quod possum, vix aliquando queo.
Adde quod, et videor parasitus, scurra malusque,
Ne tecum caenem tam mihi saepe refers.

## *Ramusio* Donatus.

Quid tibi grande dabit, Ramusi care, poema,
Syllaba perdices si dedit una duas?
Debita (vicisti) jam poscas pignora: sed te
Quum dabit haec, lato ne voret ore, cave.
Si velut os, oculos forsan tenuisses apertos,
Non tibi deberem quas modo poscis aves?

## *Responsum Ramusii.*

Vult dare quod vici: mecum coenare poposcit,
Debita det fas est, vota negare nefas.
Utilius certè est, quum devoret omnia lato
Ore, quod haec renuam debita, quàm capiam.

## Donatus *Ramusio nunc diviti, olim pauperi.*

Quid mihi pollicear de te si justa petentem
Abnuis, et minimum hoc reddere posse negas?

Quem precibus sperem posse exorare, negabis
  Hoc mihi? dispereat foedus amicitiae.
Numquid te moveam precibus, moveamne querelis?
  Numquid utrumque parum est, numquid utrumque nihil?
Nempe rogavi alios prope, vix quos novimus ante,
  Quos facili et tenui fleximus ante prece.
At te quem solo sperabam flectere nutu,
  Flectere nec nutus, verba nec ulla queunt.
Ecquid amicitiae signum hoc tam nobile nostrae est?
  Hic amor est, quo nil grandius esse refers?
Ah demens dictis qui praestitit omnibus aures,
  Et nimium blandis credidit adloquiis.
Quid faceres si grande aliquid peteremus et amplum,
  Sit quamvis amplum hoc, et mihi grande satis?
Sed posthac, age, quid de te sperare licebit,
  Vocula si nunc est parva negata mihi?
Hoc à te primum est quod forte poposcimus; at tu
  Per trivia, atque forum, per loca cuncta negas.
Et cujus signum hoc animi est? Me credere quod vis?
  Id nisi quod credit publica turba palam.
Quod volo, quod cupio tibi parvum, grande petenti est,
  Tu quoque (si id verum est nomen) amice velis.
Carmina quid tandem dictamus inania? Coram
  Nil agimus, poterit scripta tabella minus?

## *Responsum* RAMUSII *DONATO.*

Me ne vocas ditem, misero qui sydere natus,
  Frigida nunc patris execror ossa mei?

Non ego sum dives, nec quod mihi fata recusant
  Possum Donati divitis esse comes.
Sum pauper, genitoque fuit, patriique penates,
  Et pauper nobis, si quis amicus, adest.
Pauperiem quod amem, miserum me, sydera cogunt,
  Sis pauper socius, si meus esse velis.
Hoc mihi si coelum statuit, quis numina contra
  Auderet? Trahitur sic mihi vita gravis.
His igitur novi (sortem quis ferret iniquam)
  Non tecum posse hic emeruisse diù.
Quod possum, non posse velim: me solvat in auras
  Parca, vel in lucem quam tulit una soror?
Verè ego flendus eram, quum me genuere parentes,
  In tecto cecinit flebile carmen avis.
Edoceas quam fata volunt evadere sortem,
  Quod nolim, faciam, quodque velim, effugiam.
Tunc erimus dites, ditique haerere sodali,
  Tunc potero tunc mi cum Jove vita foret.
Parce igitur si non de me potes omnia: coeli,
  Non nostrum hoc vitium est, tù tamen astra move.
Quare, si fido quondam tibi, nostra negavi
  Auxilia, in fatis hoc erat, ista feras.
Altera, quin etiam ratio est, quod gentis Etruscae
  Pro verâ teneor occubuisse fide.
Visne fide caream, justo, qui justior omni es,
  Quam turpe est si quis forte bilinguis erit.
A me igitur quaeso, placidam patiare repulsam,
  Mitiaque interea sint mihi fata roges.

DONATUS *RAMUSIO.*

Auratum, rosei nectaris appetens,
Inter munditias sugere poculum,
Fecem semper abhorret
Atram sorditiem timens.
Sicco gutture mavultque sitim pati,
Faedatumque nihil tangere destinat,
Vivit mundus, et omnes
Labes effugit undique.
Et quamvis egeat nectare, mundus est,
Et dignus Phrygio reddere Cymbium
Exhaustum Ganymedi,
Dignus deliciis Jovis.
Ramusi, quoque tu, qui celebras Catae
Formosam faciem, mundâ et amabili
Si vis esse puellâ
Dignus, desere Thaida.

*RAMUSII responsum.*

Es vere clariis dignus honoribus
Donate, Aonio carmine qui canis
Cattai faciem, quae
Lucentem repetens polum,
Me solum potuit linquere pauperem,
Cui desit quod habet, cui superest nihil;
Sed quum nutriar, artus
Quisque expellere cogitur

Partem: vis ne igitur mentula, sordidum
 Nil sola ejiciat? Pellice candida
 Da nunc, ut potiar, quod
 Ducor sanguine; forsitan
Si tardabis, opem dextera conferet:
 Hanc, ortis tenebris, sub mea culmina
 Ducam: dulcia furta
 Sic Cattam fugient meam.

## Donatus *Ramusio.*

Janus adest, vultusque novos, annumque recentem,
 Saturnalitios inchoat atque dies.
Undique jam prisco mittuntur munera more,
 Et capit aureolum verna puella, puer.
Argentum potui, Ramusi, mittere et aurum,
 Ast age, num tibi sunt carmina missa satis?
Nam quid opus nummos tibi mittere? Carmina vendis?
 Vendita dant nummos carmina nostra tibi.
Sum quoque Donatus, non sum donator, et hoc est
 Cur cum carminibus, munera nulla dedi?

## *Ramusii responsum.*

Misisti carmen nobis pro munere, quod sit
 Mos ab avis, Jano principe, dona dari.
Carmina grata mihi; docto quid carmine majus
 Quod facit aeternos post nova fata dies?
Te mallem misisse aurum, quàm vendere carmen,
 Non decet hoc, doctus saepius efficior.

Mitte aurum, quoniam labor est mihi vendere carmen,
Nec possum, vendens, sub Jove stare diu.
Adde quod extremas emptor penetravit in oras,
Mutet ut in merces carmina docta alias.
Mitte aurum, quoniam marcescunt carmina, non aes;
Non es Donatus ni quia saepe dator.

### *Somnium DONATO missum.*

*CATTA et RAMUSIUS loquentes.*

RAM. Donec Catta placens mihi
Vixisti, nec eras aethere olympico,
Inter lucida sydera,
Fortunam Alcinoi, sprevimus, et Midae.
CAT. Donec grata fui tibi
In terris, jacui passa hominum luem,
Me nunc altera virginum,
Non est, astra tenens alta, beatior.
RAM. Me nunc humor alit meis
Manans ex oculis, hinc quid habes mihi,
Pro qua nunc paterer mori,
Dum cerni videam lubrica lumina.
CAT. Si pacem lacrymis meam
Turbas, sic pietas nunc tua me movet,
Quod non bis metuam mori,
Ut sedes tibi nunc me prope Dii darent.
RAM. Quid si nunc morerer libens,
Et vitae miserae vincula solverem,

Si purus peterem Deos,
Rejectamque animam susciperent poli?

CAT. Quamvis omnibus altior
Sim felix, gradibus pluribus, aethere
Descendam, ut tuerer tuos
Vultus, huc propera, suscipiam libens.

*DONATI responsum.*

Interdum licuit pati
Curas, quas satus è sanguine Cyprio
Urgebat puer improbus,
Interdum licuit cedere amoribus.
Sensi tela Cupidinis,
Et collum fatuo tradidimus jugo,
Sed lanugo subalbida,
Forsan vix teneris serpserat venis,
Tunc me sternere debili
Imbellem potuit saevus amor face,
Vinci nec pudor extitit,
Aetas namque modos quaeque suos habet.
Postquam effugimus otium,
Et caepi studiis tradere pluribus,
Nequidquam steriles dies,
Numquam me tetigit flamma Cupidinis.
Quamvis spicula jecerit,
Quamvis insidias improbus undique,
Et multos laqueor mihi,
Ut me deciperet saepe tetenderit;

Artes dum ingenuas sequi,
Me vidit, rapidas deposuit faces,
Nunc me quaerere comperit,
Quis nam potens rebus inhaereat;
Quid coeli moveat vices,
Et quid mundi elementa, et quibus omnia
Constent corpora discere,
Aures nunc Citharae tradere blandulas;
Et nostras pariter manus,
Omnes delitias quaerere musices,
Semper me effugere otia
Invenit; jaculis nec licuit feris,
Pectus posse lacessere;
Sic jam nostra vacat mens ab amoribus,
Omni servicio carens.
Interdum satis est, quum jubeat fames,
Glandem sumere torridam
Agrestesque nuces, nec petere illa, quae
Sugit pocula Juppiter,
Non quaero, aut Helenem aut Priamo satam.
Cassandram, nisi se meis
Fortasse obtulerint tradere gaudiis;
Nil hîc quaerimus arduum,
Interdum satis est, quum jubeat fames,
Mundam rusticolam adgredi,
Haerentem cophino, vel gradibus tori,
Aut quamvis aliam, neque
Gemmis implicitam, veste nec aureà,

Quae det delitias rudes,
Indoctosque jocos, dummodo munda sit.
Me captus videt occidens
Phæbus, mox rediens, liberum, et unius
Horae, aut noctis amor meus,
Nos curas alibi ponimus anxias.

## DONATUS *RAMUSIO*.

Jam nondum lucis Phaebo patefecerat aulam,
Dedita Titono flava puella seni,
Coeperat et nondum segetem contundere lini,
Excita ab herboso rustica nocte toro.
Lumina languenti mihi pressa sopore jacebant,
Ante oculos visa est Catta venire meos;
Qualis in auratâ veniens Cleopatra carinâ,
Romani Latias principis ante rates;
Talis erat, gemmis fulgens, et divitis auri
Pondere, oliviferâ fronde tegente caput.
Is rosei decor oris erat, mox gratia formae,
Unde tibi vitae nobilis aura fuit.
Obstupui, subitóque absens mihi mente subisti,
Te tali cupiens conditione frui.
Mirantem post me nitidis adspexit ocellis,
Oreque nectareo talia dicta dedit:
Me nosti, vestrâ hac fruerer quom luce, priusquam
Esset honoratos mi locus ante Deos:
Ramusii cecinere diù me carmina vatis,
Cui placui, et mihi, quem non placuisse negem;

Nunc quoque defunctæ veneratur carmine nomen,
  Quodque potest solum pectore nomen habet.
Is tibi (nec nescis) mente est junctissimus omni,
  Ut nulli cupiat deditus esse magis.
Summa quies, quamvis mihi sit nunc astra colenti,
  Mi tamen est vatis maxima cura mei.
Non procul hinc locus est, sub aprici vertice montis,
  In quo Petrarchae busta sepulta jacent;
Nec procul inde domus sacrati sacra poetae,
  Quam circum Phoebus, Pieridesque canunt.
Hic doctis laurus manibus planctata Petrarchae est,
  In quâ, nec falsò numen inesse putant.
Flaminium jubeas juvenem huc, Donate, venire,
  Tecum aderit, summâ te pietate colens.
Ipse chorymbiferam decerpe ex arbore ramum,
  Et fiat manibus pulcra corolla tuis.
At juvenis, nostrum cui pectore nomen inhaeret,
  Pronus Petrarchae dum colit ossa pii,
Sit tecum, mox tu nostrum laudando poetam,
  Doctum Phoebeâ contege fronde caput.
Hoc, Donate, oro, efficias generose, precamur,
  Et dicas, fieri sic tua Catta jubet.
Haec ait, et vento similis discessit in auras,
  Liquit et ignavus corpora nostra sopor.
Ad me igitur venies, visis semel ipse tabellis
  Et quum sis mecum dilige Tindaridas.

### *Responsum Ramusii.*

Somnia visa tibi, nimium jucunda fuere,
Quae nobis utinam fata dedisse velint.
Exequere illa, precor, nostrae mandata puellae,
Sim quamvis illo dignus honore minus.
Me praeter, cunctis adparet nocte, nec unquam,
Infelix, possum nocte videre semel.
Nescio, coelesti quo sim sub sydere natus,
Infelix, tristi tristior Andromede;
Vel cui sim curae, vel quae me numina servent,
Quâve sit hoc natum conditione caput.
Unde igitur, quod ubique premor, sensusque per omnes,
Ossaque praedurà sorte cucurrit amor.
In flammas abeo, nusquam mihi semita tuta,
In me jurarunt sydera, terra, liquor;
Quis negat hoc? Per cuncta vetor spectacula Cattam
Urbis, et in solitis posse videre locis.
Luce, miser, totâ rigidis contundor ab armis,
Scilicet in tecto me terit usque timor.
Si tamen ulla mihi dominam pergrata referrent
Somnia, sat nobis esset amicus amor;
Sed mea praeclusae rodunt praecordia flammae,
Nec me solantur somnia visa toro.
Durus onus terrae, postquam dimovit arator,
Hic iterum increpitat nocte per arva boves,
Luce ubi venator lassus per amoena vireta,
Mente iterum recubans quaeritat omne nemus.

Miles et ingenuus costis adcommodat arma,
Et portu tutus navita quaerit opem:
Sic redeunt animi, adsuetos in nocte labores;
At me infelicem somnia nulla juvant.
Nec tam gradivus dubiis se miscuit armis,
Quom placidae Veneri basia crebra tulit;
Nec tot Milanion depresso corde dolores,
Nec pro te passus Hippodamia Pelops,
Quot tulimus membris hamata cuspide tela,
Quot miser incenso spicula corde tuli.
Quidquid ago, nostrae subeunt mihi facta puellae,
Quam leviter gemmis torserit illa comas.
Adloquor absentem totis conviva diebus,
At non sic pectus quum sopor altus habet.
Hanc videt, et loquitur, totis huic haeret ocellis,
Alter quum placidâ membra quiete levat.
Me fugiunt umbrae, noctu me dulcis imago
Effugit, et solum me sinit esse toro.
Ah vesana Venus, cur non certamina perdunt
Mutua nos, tuus haec contudit ossa puer.
Quis Deus hic amor est, dulces si fugit amicos,
Qui colit et sequitur per loca cuncta Deum.
Sum miles Veneris, fugimus pia sacra Dianae,
Et ledor castris, saeve Cupido, tuis.
Venator sequitur fugientem indagine Cervum,
Ast ubi coepit, humi linquit, et alta petit.
At nos nec fugimus, nec si tibi vertere terga
Possem, complexu diffugerem ipse tuo.

Cur non fudisti Veneris cum sanguine vitam,
Titide, in castris quum tibi laesa fuit?
Si Venus egregio silvis periisset Adoni,
Non quererer duros in mea vota Deos.
Aut quum parvus amor Psyches consumptus ab igne,
Auderem summi limen adire Jovis.
In me saevit amor, duris Ericyna sagittis
Saevit, et in Cattam mors violenta meam;
Si tot fudissem scopulis, saxove querelas,
Pigmalioneum jam loqueretur opus.

## DONATUS *RAMUSIO*.

HELENA. Qualem navibus aureis
Pastor Dardanius ferox
Abduxit facili dolo
Laedeo genitam sinu;
Qualem Jupiter albido
EUROPA. Sub Tauro, pavidam vehens
Europam, nitidis comis
Duxit trans mare turgidum:
Qualem belliger auream
VENUS. Mars pressit Venerem, furens,
Quando Mulciber arduas
Ferri composuit plagas.
Qualem sydereus sequens
DAPHNE. Latonae ex Jove filius
Daphnem, bachiferam arborem
Adspexit fieri gemens;
Qualem de Semele satus

Ariadna. Vidit littore Gnossida,
Quum visis oculis, calens
Sensit tela Cupidinis;
Qualem sydera, candidam
Cynthia. Noctu lucida Cynthiam
Spectat per mare navita,
Talis Catta placens tibi.

## Ramusius *Donato.*

Si, Donate, tibi faces
Et vultus macies, pallidulae genae,
Et quae vita fuit mihi
Constaret, pietas te tua quae facit,
Te semper Superis parem
Flexisset; sed amor me vetat haec loqui.
Me nunc turbidus alterum
Auster spectat, habent lucida sydera
Quam multis precibus voco
Nequidquam, volitat mens mea, quaeritans
Si cui certa fides sedet,
Quae priscum revocet Thesea ab inferis,
Qui possit mihi dicier,
Hic verus socius tempore nubilo est,
Qui non effugiet cadis
Siccatis, vacuo nec lare pauperem
Te solum video, fidem
Qui tecto recipis divite candidam.

Hanc quondam retines domi,
Et donas laceram munere plurimo,
Ac gemmis oneras bonis;
Quare si lateri divitis haereo,
Non ulli dubium est, meos
Ignes eripiet pectore fervido,
Et laetum faciet diù,
Mirabor dominum sensibus omnibus.

## Ramusius *Donato.*

Non me decepi, quando te adspeximus olim,
Consuluique Deos,
Quis foret in terris, cui possem credere me me,
Divitiasque inopes,
Sic me semper ament Superi, mihi sydus ab alto
Te cecidisse reor.
Tandem me adspexit, nitido Ramusia vultu,
Emicuitque dies.
Jam possem in stabili securus vivere in aevo,
Lubrica et astra sequi.
Numinis instar ades, imitabimur omnia, laeto
Quos sequar ore doces.
Arsisti quondam, satis est sensisse, medullis,
Arma, facesque Dei.
Tunc tentare vias rerum, tibi summa voluptas,
Quae tibi nota, domas;
Utque tibi verâ pateant ex arte, magistra
Musica te sequitur.

Te quaecumque decent, aequas qui moribus, ore,
Eloquioque Deos.
Nil mortale in te est, quamvis te tempora mutent,
Non nocitura animae;
Ut facis utilius, non est, quam ver tere sese,
Quo fera vertit hyems.
Temporibus mores distinguis, ut haec bene nosti
Moribus apta tuis;
Nos igitur facilem te jam, Donate, sequemur,
Consiliumque grave;
Exarsi, nostrisque recondidit arma medullis,
Improbus ille puer;
Sed nostro potuit mors immatura puellam.
Eripuisse sinu;
Quare dimissis oculis, et judice coelo
Tende, quod usque sequar.

## *Responsum* DONATI *RAMVSIO.*

Est aliquid, diri dispendere temporis horas,
Difficilesque dies,
Dum pestis patriam vexat, dum publica bellis
Res premit variis,
Laedit, et infaustus dum nostras nuntius aures,
Qui mala multa refert;
At postquam sic Diis placitum est, et fata Deorum
Talia ferre jubent,
Pectus ab infestis cupimus dissolvere curis,
Nil meminisse juvat;

Et quum decretas studiis complevimus horas,
Dum satis esse reor,
Nunc mihi sydereus cytharam concedit Apollo,
Nunc docet ore melos;
Nunc tibi, nec aliis plenas compono tabellas,
Versiculisque jocor;
Anxia sic moles curarum me effugit, et sic
Fit minor, aut levior;
Sed solum tibi me, Ramusi chare, fatemur,
Scribere cuncta decet;
Scriptaque, non ulli, tibi quém magis, omnia aperte
Liberiusque damus,
Seria nunc etiam fatué, nec dicta jocosé,
Inseruisse licet;
Nam si te, fidum non possum dicere, amicum,
Quis mihi fidus erit?
Nostra sequi te velle refers vestigia, nostris
Consiliisque regi:
Difficile haud erit hoc nobis, quippe una voluntas,
Mutua mens eadem est,
Consilium invenies alibi prudentius, et quod
Det meliora sequi;
At non invenies fortasse fidelius, in quo
Sit mage gratus amor.
Ne mirere igitur tibi si longissima de me
Littera saepe venit,
Accidit hoc, curas quod pellimur undique, quódque
Me tuus urget amor.

## Donatus *Ramusio.*

Quid juvat in tristi consumere tempora fletu
Et de Narnensi semper amore queri?
Quid faciles annos lacrymosas ducere in horas,
Et tecum gemitus semper habere novos?
Quid juvat in sterili sic vivere amore, nec unquam
Ponere crudeles adsiduasque faces?
Quin potius vivas liber, nec fletibus ullis,
Tandem non moestos experiare dies.
Haec ego dicebam, cupiens sedare dolorem,
Qui penetrat cordis interiora tui.
Sed sonitu coelo monuit me Juppiter alto,
Et calamus nostris decidit è digitis.

## *Responsum* Ramusii *Donato.*

Non opus es tentes miserum solarier unquam,
Quum numquam soler, ni mea damna fleam.
Ast ego laetari, gradivâ conjuge captâ,
Deberem, quâ non altera major erit.
Uxorem duxti; quâ non praestantior ulla est,
Divitiis, formâ, moribus, eloquio.
Laetari tecum, risusque effundere molles
Optarem, sed abest spiritus ille meus.
Sic me sors egit laetis in rebus amici,
Cogar ut adverso condoluisse Jove.
Quidquid ago, me fletus habet, proh fata, jubete
Legibus humanis solvere posse caput.

Sed tibi, si qua mei pietas, converte querelas
 In risus, tristi nubila ab ore fuga.
Sic age, quod nequeo cape, non quod praebeo, sed quod,
 Faelici gremio, contribuisse velim.
Os redolet quod habet, nunquam flagrantia mella
 Ferret humus, flores non maris unda novos.
Sique tibi nequeo felices promere cantus,
 Sique cadunt viduae dissona plectra lyrae,
Parce, precor, doctae perierunt fonte sorores
 Aonio, et sacrae non fluit humor aquae;
Utque magis crucier, fatum reticere puellae
 Cogor, at in tacito defleo damna sinu.
Non est, quae ingenium nobis, viresque cadentes
 Tollat, ac exiguo cespite pressa jacet.
Si vis ut cantem, spatiosâ fronte capillos
 Collige, et in vultu vivida labra suo.
O crudele nefas, nequeo reticere, quod instat
 Me dolor, et lacrymae, me jubet illa loqui.
Aethereas in nocte venit delapsa per auras,
 Ponit et in nostro flebilis ora sinu;
Post caput attollens, flavos laniata capillos,
 Incipit, o nostri sola favilla memor,
Ecce jecur lacerum, tenues sine sanguine fibrae,
 Ecce cor, et quae non, roscida labra, rubent;
Nosce faces et tela tuae praecordia Cattae,
 Nosce tuum quae nunc possidet ingenium.
Nosce illam, quae te vulgo sejunxit inerti,
 Et quae nunc inter te facit esse Deos.

Et si te quomdam totos jam sprevimus annos,
  Nunc piget, heu sero cognita flamma tua est.
Odi te quondam, tuus est mihi cognitus ardor,
  Vive, quod è coelo gratia multa fluet.
Vivo sed infelix sine te, tu dilige, quaeso,
  Pigmalionea corda perempta manu.

DONATO *RAMUSIUS*, *Horatium imitans*.

Integer vini, Cererisque purus,
  Non eget servo baculo, nec unquam,
  Qui pedes multo madidos Lyaeo,
    Dirigat hasta.
Sive per sylvas iter est recisas,
  Sive per noctem, lapidesve duros,
  Stabit erectus loca cuncta quaerens,
    Nec cadet umquam.
Namque dum sacros veneror Laconas
  Cimbricis silvis Lupa (qua cadit vis)
  Vidit, et me me tenebris sub imis,
    Fugit inermem.
Quale quis monstrum poterit videre,
  Horreo certe, quotiens subit mi
  Vultus, et quisquis Venerem fatigat
    Decidet usque.
Pone me in pratis ubi cuncta florent,
  Sive sub saxis, gelidoque fonte,
  Non rosam tangam manibus, sed ore
    Gaudia carpam.

Pone me in coelo, stygiisve in undis,
Me Deum regem facias, negesque,
Dulce ridentes pueros amabo,
Dulce loquentes.

## *Responsum* Donati Ramusio.

Obsitus Baccho, Cererisque plenus,
Indiget servo baculo, nec unquam,
Dum calet multo madidus Lyaeo,
Vera loquetur.
Esse se in Syrtes putat aestuosas,
Ebrius vino nimis hospitali
Lingua cui semper mala fabulosos
Diriget ictus.
Namque quae fingis sapiunt Sabinis
Collibus forsan sata vina, vel quae
Attulit collis Patavi colonus
Dulcia vobis.
Ebrium talem, neque militaris
Daunia, latis alit esculetis,
Ebrium nullum magis illa ficta
Verba decebant.
Pone me in pratis, ubi cuncta florent,
Sive sub saxis, gelidoque fonte,
Non scelus tangam, neque tam nefanda
Gaudia carpam.
Pone me in coelo, stygiisve in undis,
Sive divûm rex, hominumve fiam,

Sancta dicentes homines amabo,
Sancta loquentes.
Improbus vitae pathicae peritus,
Decidat Mauri jaculis et arcu,
Et venenatis cadat ulceratus,
Membra sagittis.

## Donatus *Ramusio.*

Quaedam me modo quum videret, ultro
Compellavit; ego audiens, rogavi;
Quae nostra foemina ea esset? unde nostrum
Nomen sic tenet? Impudenter illa
Respondens, ait, omnibus tabernis
Sum notissima, circulis notatis,
Sum lenonibus omnibus probata,
Et me non latuit lupanar ullum,
Me novit Glycere, Lycas, Luchina,
Praestansque incola Brunduli Philippa;
Me cives, proceres, viri, puelli,
Et grati juvenes, senesque tardi,
Fratres, praesbyterique mentulati,
Judaei, Aethyopes, Canes, Lupique,
Cunctis artibus, omnibus modisque,
Jampridem futuere, nullaque unquam
Forsan doctior, aptiorve visa est;
Et dicor meretrix, lupa, ursa, vacca,
Eventus mihi nomina haec notavit,
Sed mirum tibi desinat videri,

Si nomen mihi nunc tuum vocatum est;
Nam Ramusius ille laeno notus
Te interdum sequitur, tibique amicus
Est junctissimus, ille me fututam
Centum bis decies, domum reduxit,
Et nomen docuit tuum petentem.

## *Responsum* RAMUSII.

Pulcellam recitas mihi fabellam,
Et quamvis videar tibi impudicus,
Dic, quaeso, Venerem meae puellae,
Quanti emisse potes tuis diebus?
Nosti tu bene, quid velim, fideles
Sunt aures tibi, te decet silere.

## DONATUS *RAMUSIO*.

Quoddam est Soricibus malum,
Ignavumque animal, quod ferit unguibus,
Ramusi decus inclytum,
Cujus nomen amat, cujus amoribus
Flagrat, nec caluit magis,
Marsumque Veneris tectus, in aureo
Formosae gremio ferox,
Quam monstri calet hic hujus amoribus,
Quid foedum hoc animal, juvat,
Ardenti nimium pectore subsequi?

Ah quanto melius foret
Sic fratres Helenae lucida sydera,
Et pulcrum face Pegasum
Ardenti et placido pectore subsequi.
Nam quantum a patria Jovis
Coelesti, est alius tartareus Deus,
Tantum haec sydera differunt
A monstro rapido, quod ferit unguibus.
Certe nil sapis, o bone
Ramusi, sequeris vana et inertia.
Coelum nil habet inclytum
Laedeis equidem syderibus magis.
Monstra, et mortua, stultaque,
O stulte insequeris. Quis furor improbus,
Quae mens tam fatua est tibi!
Viva atque inclyta possidens,
Certè, nescio cur mortua discupis.

*Responsum* RAMUSII DONATO.

Quid pejus poteras mihi,
Quâm Cattae obiicere hic dedecus inclytae?
Diva est, non animal rapax.
Verum nomen habet, quod decus arduum est.
Haec spectans homines polo,
Et coeli faciem, te videt aethere,
Quantum ardes, cupiens frui
Laedeo genere hoc, quod sequeris palam
Nobis, qui colimus Deos.

Sic me semper ament pectore fervido,
Nec me sydera deserant,
Purâ ut mente colo Tyndaridum genus.
Aut haec invidia est mihi,
Vel vis, ut faciam tam scelus improbum.
Haec, si est invidia, haud mihi
Es fidus socius, quum mea pectora,
Et mens nescia sit mali;
Sed si me moveas in scelus indecens,
Hoc constat, quoniam facis,
Ut faciant, vicibus podice mutuo.
Quod tantum tribuas mihi,
Cui mirum ? Quòd amicus tibi, non mihi es.

### *Ramusius* Donato.

Parva pira haec, pulso pereunti parte pudore,
Mitto, miser, mallem me maduisse mari.

### *Responsum Donati.*

Tu pira, tu carmen mihi das, ego carmina tantum
Do tibi, sic mecum maxima lucra facis.

### *Comiti Johanni Ramusius.*

Vix Patavi dulces potuisti attingere fines,
Scripsi Donato, venit in urbe Deus.
Plurima volvebam mecum, mitissime princeps,
Quaerebamque tuas anxius usque domos.

Mentiar haud unquam, sunt haec quae scripsimus una,
  Et de te factus jam liber esse potest.
Cur non sim tecum semper mirabere forsan,
  Desine, me esse diù res premit arcta domi.
Haec alias; de te facundas accipe laudes,
  Et lege jucundâ verba notata manu.

## *Ramusius* Donato, *de comite Johanne.*

Quis novus hic hospes, nostram qui accessit ad urbem,
  Qui vultus magni numinis instar habet?
Antiqui magnos heroas temporis aequat,
  Exemplum verae pacis in ore gerit.
Hic vere est Divo natus, vel principe, quando
  Ore refert qualis sit Deus orbe satus;
Et quoniam formâ praestat, mihi creditur ortus
  È Venere, et Phaebo, quod lyra culta decet.
Eloquio quoniam rerum scit reddere causas,
  Est natus medio Palladis è gremio.
Et quoniam crines tegit hic Parnaside lauro,
  Colle sub Aonio credimus esse satum.
Vel fuit huic certè genitrix ditissima Juno,
  Atria labentis quum tegat unda Tagi.
Pacem vultus habet, facies exorat amorem,
  Membraque Scythoniâ sunt magis alba nive.
Cuncta decent Divum, radiant ut sydus ocelli,
  Et volitant circum tempora amata comae.

Incessu Divos aequat, supereminet omnes
  Vertice, dum loquitur flore renidet ager.
Hujus nympha loci, totis resoluta medullis,
  Huic haesit, qualis non fuit Hesperia.
Haec cunctis tentata prius, velut aequore saxum,
  Vixit, et ardentes spreverat usque faces.
Hunc ubi conspexit, tumidis velut icta carina
  Fluctibus, in cursus mens abiit varios.
Devicta haec secum, quem mens mea concipit ignem?
  Me vicit, fateor, prodigiosa Venus.
Vilescit moerore animus, cedamus amanti,
  Est mea nunc aetas ignibus apta novis.
Da, Donate, igitur; quis nam novus hospes in urbe?
  Ne semper curis decoquar adsiduis.

## *Responsum* DONATI *RAMUSIO.*

Quid de tam noto me consulis hospite? Nonne
  Fama celer totà repsit in urbe viri?
Vis tibi Phoebeae monstrari lampadis orbes,
  Quum prorsus media est atque serena dies.
Quos genus obscuros ignobile reddidit, horum
  Tralibus est mediis, quaerito progeniem.
Ignorat nemo, coetu monstratur in omni
  Fitque magis verâ nobilitate decens.
Declinat vitio, quoniam generosus, ab omni,
  Quodque in proclivo tramite non vehitur.
Hinc est, quod forma juveni praestantior, hinc est
  Dignus avis superis, divitiisque Midae.

Quod proprio ingenium depascit munere praestans,
  Versatusque bonis fervidus in studiis.
Haec est, quae cunctis colitur, laudatur, amatur,
  Nullà nobilitas interitura die.
Ipse quidem proavos, atavosque requirere possem,
  Undique vallatum nobilitate genus.
Sed tu progeniem sat carmine colligis ipso,
  Consultusque alios plura docere potes.
Num Superùm patria? Num dignus origine Divùm est?
  Dic age? mortales cur repetis proavos?

## *Ad Comitem* Johannem, Ramusius.

Si tibi, princeps nimium beate,
  Pulcrior signo Veneris benignae,
  Doctior magnae gremio Minervae
    Doctior auro.
Gestiunt omnes dare colla, sique
  Serviunt urbis juvenes, senesque,
  Qui graves tentant baculo cadentem
    Ferre senectam.
Si tibi vates facilis Camoenas
  Dictitant, omnes celebrant poetae,
  Si colit, qui te semel urbe vidit,
    Numen adorat.
Non mihi mirum est, quoniam benignus
  Suscipis cunctos laribus, domoque,
  Omnibus largus, facilis, piusque,
    Semper amicis.

Sunt tibi mores Superis, Jovique,
Et pares sensus, oculi, manusque,
Semper es dulces pius in parentes,
Gratus et aris.

Te Venus circum volat, et Cupido,
Et sacri fontis placidae sorores,
Adstat et Phoebus cytharâ, voluptas
Splendida ridet.

At sedent dextro latere innitenti
Veste fulgentes, pietas, fidesque,
Pallas, et tutis comitata curis
Aurea virtus.

Hinc abest Auster, nebulae, malusque
Juppiter, curae nimium fugaces,
Et timor plantis trepidus, famesque
Pallida semper.

Hinc abest moerens dolor, et labores
Anxii, fletus, lacrymae rigantes
Pectus, et nudo malesana cunctis
Vertice egestas.

Te vocant patrem patriae nepotes
Romuli, nymphae te Heliconis alti
Principem, Quercus tenerae insecuntur
Te Orphea et undae.

Quae virum terris faciunt beatum
Possidens, divos numeratur inter,
Qualis es princeps, meritòque numen
Dicimus in te.

Quum tuo sanguis dominetur ardens
  Corpori, et praestes animo, manuque,
  Vita post vergens senium cadet vi
    Pulsa senili.
Alta felicis repetens olympi
  Astra, diceris comitis beatum
  Sydus, ostendent te homines ubique
    Pollice tenso.
Non opus laudes referam Camoenis,
  Et genus priscum proavum tuorum,
  Esset hoc Solem, triviamque Phoebem
    Ferre sub auras.
Nos tibi versus faciles dicamus,
  Quidquid et mecum est animo lubenti,
  Non quód hinc sperem vacuum replere
    Munere tectum;
Sim licet pauper, patrii penates,
  Pauper et frater, socii, domusque,
  Dives est nobis animus, quòd haud sum
    Deditus auro.
Sat datum nobis laris, et paterni
  Praedii, quo me, tenuemque fratrem
  Nutriam, sed si capies Camoenas,
    Plurima laus est.
Hoc erit, sensu cupimus quod omni,
  Hoc erit, quod me faciet beatum,
  Hoc erit laudis satis, atque aviti
    Divitis auri.

## *Ad librum comiti Johanni missum.*

Dic age, quod Comiti poteris liber ipse placere,
  Nam viridi lauro, non tibi culta coma est.
Quum sis incultus, nulloque insignis honore,
  Quum sis deformis, et malè pexus eas.
Adde etiam, quod non sapis alti carmina vatis,
  Nec tribuit facilem Calliopea lyram.
Non novit pauper doctum componere carmen,
  Esuriens novit vix bene saepe loqui.
Non sunt haec etiam calamo composta fugaci?
  Non sunt haec celeri carmina scripta manu?
Quò liber ire paras? Unde haec audacia? Nusquam
  Es tutus, quin te scrinia nostra tegant.
Non sapiunt ungues demorsos carmina, quando
  Ars tua non sanis sit medicina data.
Te ne latet quàm sit facundus carmine princeps?
  Certe judicium grande subibis: adi.
Vatibus Aoniis Comitis sunt atria plena,
  Si liber accedes, erudiendus eris.
Dente notat certe hic carmen, secat unguibus alter,
  Hic torquet nares, hic erit ore tumens.
Te pedibus trahet hic Comitis penetralibus altis,
  Incuciens capiti pinguia vasa tuo;
Hinc tristis, moerens, lacer, obsitus, unctus abibis,
  Et repetes nostram turpiter ipse domum.
At liber excepit; Comes est jucundus, amansque,
  Et facilis cunctis, ut sine labe Deus:

Haud fallor, quamvis alti sim carminis expers,
  Suscipiet mentis interiora meae.
Et patiar, si quis mihi detrahet, hospes, amansque,
  Saepius externâ vivit ut in patria;
Nec tantum hoc vereor, nam quum me in munera princeps
  Coeperit, iste tuus desinet esse liber.
Quin etiam ratio est, qua me semper aethera tollet,
  Quisque, quòd haud totus sum liber ipse tuus.
Dimidium Donatus habet, quem propter amari
  Dignus ero: tutus principis ora peto.

D. M.

DIVAE CATTAI

NARNIAE

VIRGINUM DECORI

RAMUSIUS.

IN MEM. D. D.

V. F.

M. CCCC. LXXXI. KLIS MAII.

PACIFICI MAXIMI ASCULANI

# CARMINA.

14

# DE
# PACIFICO MAXIMO,
## ASCULANENSI.

Pacificus Maximus, patriâ Asculanus, omnium fere litterarum genere excultus, sub M. CCCC. XL. salutis anno, primariâ inter cives familiâ, patriisque fortunae bonis affluentissimâ, Joanne Patre, et Bucciâ matre natus est, ut ejus sepulcri epitaphium, et qui eum celebrant elogiographi luculenter testantur; quod et ipse non diffitetur lib. V. eleg. IX.

« *Orbus eram, sed dives eram: solatia damni*
» *Praebebat multis arca gravata bonis.*
» *Et mea barbarico radiabant tecta sub auro,*
» *Sulcabantque mei jugera mille boves.* ».

Ob privatas patriae suae factiones, ejus parentes Asculo egressi per abdita viarum ac salebras fugâ saluti consulentes, albescente jam die, perveniunt ad *Murri* castrum, ab urbe dissitum tria circiter cum dimidio passuum milliaria, prope amniculum, quem *Marinum* nuncupant. Inibi affecta graviter *Buccia* ex dolore propinqui partûs, ac metu persequentium inimicorum, sub arbore frondentis oleae cogitur subsidere, ubi vi-

rilem sexum enixa, a symbolo pacis oleà, *Pacifici* nomen filiolo dedit, ejusque os iuvolucro frondium obtendit, ne quaesiti ad necem parentes vagitibus proderentur, ut ipse met narrat Hecatelegii lib. II. eleg. VIII. Vix partu edito conjuges cum recens nato, é castro *Murri* unaque è vitae periculo in nobile oppidum evaserunt, quod in tria distributum oppidula, singula proprium sortita nomen, unico amplioris vocabulo *Camplum* nominant, hodie civitatis titulo, et Episcopali dignitate a Clemente VIII. pont. max. decoratum. Id sibi loci, ceu portum securitatis post mille laborum fluctus atque discrimina eatenus delegerunt, quoad patriae defervescerent tempestates, aliusque esset ab eo rerum status. Hinc factum fuit, ut *Pacificus* praecipuo semper amore Camplum coluerit, et ut se gratum pro hospitii beneficio probaret memoratae supra elegiae finem his versibus fecit:

« *Dum Campli, castrique novi, Ripaeque Noccl'ae*
» *Stabunt: illius semper amator ero.*
» *Immemor accepti non ullo tempore fiam,*
» *Pro quo me vitas ponere mille leve est* ».

Compositis deinde Asculi rebus, ad suos denique lares reversi, puerum ingenuis artibus imbuendum optimis praeceptoribus tradiderunt. Is vero a naturà egregio acutissimoque instructus ingenio, in litterariis studiis eó brevi processit, ut non in rei grammaticae modo, verùm etiam in rethorices, philosophiae, matheseos, et

syderalis scientiae curriculo evolare potius, quàm excurrere videretur. Singularis quoque suâ tempestate inter Jurisperitos est habitus, quam legum scientiam in celeberrimis Italiae gymnasiis publice explicuisse, cùm ipsius met *Pacifici* scripta, tum *Cammilli Damiani* epigramma testatum clarissime reliquerunt. Sed poeticis potissimum scriptionibus claruit. *Hecatelegium* sententiis, adagiis, salibus, suavitate, elegantiâ, urbanitate apprime conditum, ridet, plorat, gaudet, tristatur, saeculum mellito felle demordet, relaxat animum, angorem et bilem intercidit; hinc maximam apud omnes laudem fuisset consequutus, ni versus identidem foedis amoribus inquinasset. De poeticis *Pacifici* libris praeclare sensit inter suos conterraneos *Antonius Bonfinius*, historicorum sui temporis facile princeps, cujus hortatu elegiarum decadem *Matthiae Corvino*, Hungarorum regi dicavit. *Jacobus Franciscus Parisianus* in triumpho poetarum illum exhibet, quasi primipilum triumphantium, sibi eorum nomina aperientem, virtutesque omnium, ac vitia pensitantem judicio. *Sebastianus* item *Andreantonellus*, lib. IV. Asculanae historiae, eundem concivem suum *facili carminum venâ cum Ovidio comparare* non dubitat. *Josephus Lentus* in clarorum Asculanorum praeclaris facinoribus memoriae prodidit, « *Pacificum nostrum* » *ejus aevi Maximum maximo in honore habitum*, » *Maximoque illi honores decretos, quod musarum* » *vel esset templum, vel antistes; certe omnium*

» *judicio, tali candore ejus carmina colorata sunt,* » *tantâ facilitatis granditate mollia, ut Ovidianum* » *genium in Pacifici ingenio minime desideres. Quâ* » *in carminis perspicuitate omnes quidem cupere vi-* » *dimus, plurimos ausos esse, potuisse omnino pau-* » *cos* ». Ornatur quoque *Pacificus* laudibus exterorum et testimoniis. « *Gregorius Gyraldus* de poetis » sui temporis dialogo primo post *Philelphum, Paci-* » *ficum Asculanum vult in numero poetarum haberi,* » quod non modica laus est; et paullo post subjungit: » *Fuit in elegiâ neque infans neque elinguis. Fran-* » *ciscus Pamphilius* in suo Piceno, *Pacificum* poesi » insignem appellat.

» *Carmine Pacificus vates insignis habetur,*
» *Absumpsit dulces nunc Heliconis aquas* ».

*Johannes Ravisius Textor* inter decerpta ex nobilissimis poetarum epitheta, plurima *Pacifici* suo epithetorum operi inseruit. *Jacobus Gaddius* de Scriptoribus non ecclesiasticis ejus carmina, *ut bona et nobilia* commendans, ita prosequitur: « *Ob varietatem, nu-* » *merumque permagnum carminum praesertim Ele-* » *giarum*, Maximus *mihi videtur inter magnos scrip-* » *tores referendus* » Tandem de *Pacifico* perhonorifice meminerunt *Gesnerus* in bibliothecâ universali; *Simlerus* in compendio ejusdem cum additamento; *Vossius*, lib. III. cap. VIII. de latinis historicis, in quorum ordinem ipsum adscribit. Obtrectatio *Politiani* nihil obfuit *Pacifici* dignitati. Contra momenti

plurimum fecit erga ipsum amor *Laurentii Medicei*, Dynastarum Camertium, *Nicolai* V. *Pii* II. et *Sixti* IV. maximorum pontificum, *Matthiae* Pannoniae, atque *Alphonsi* et *Ferdinandi* utriusque Siciliae regum, qui ad honores eum non modicos evexere, ob ejusque in poetices disciplinâ excellentiam, Apollinari laureâ donarunt, ut refert *Spinus Salutius* Asculanarum rerum in senioribus scientissimus. Hinc in fronte *Hecatelegii*, Bononiensibus typis excusi, senilis *Pacifici* effigies inspicitur laureâ cocollà insignita. Sub *Alphonso* certe Neapolitanorum rege honestissima stipendia meruit, ut ipsemet testatur, lib. III. eleg. VIII. citati *Hecatelegii* cui nonnullas naturà et arte munitissimas arces vi cepit, captasque ab hostibus postea circumsidentibus, eà defendit constantià, ut obsidionem jamdiu factam, postremò solvere cogerentur; in his autem arcibus non nemo Syracusarum urbem adnumerat. Ceterum *Pacifico* nihil suâ patrià carius, cujus flumina, rivulos, montes, pagos suis in lucubrationibus saepe concelebrat; idque potissimum patet ex lib. II. eleg. III. cit. operis ad *Tullum*, ubi egregia Asculanorum facinora elegantissime attingit. Suscepit a *Justâ* uxore filium unigenam, nomine *Hippolytum* quem decennem morte praereptum amantissime deflevit. Ipse verò aetatis plenus, cùm nimirum centesimum annum ageret, et Fani fortunae, nescio quo munere detineretur, in eadem urbe è vivis cessit, ab orbe redempto anno circiter MD. Extat *Camilli Damiani* Fanensis carmen

ejus sepulcro inscriptum, quod cùm per omnia ferme illius gesta pervagetur et laudes, apponendum hoc loco duximus.

« *Pacificus jacet hic, patriâ, stirpe, ordine equestri*
» *Clarus, sed claro pectore nobilior.*
» *Bella Syracusiis Marcelli expellere muris,*
» *Hic potuit prudens, hos quoque sternere humi.*
» *Unde venit Titan, ad equos ubi solvit anhelos,*
» *Horâ erat hic doctus verba referre brevi.*
» *Ingeniosa manus, cor nobile, condita cunctis*
» *Attigit, interpres legibus unus erat.*
» *Mellifluus rhetor, memori quaeque aure receapit,*
» *Edidit, et vatum gloria prima fuit.*
» *Bella cruenta canat, feriunt fera carmina olympum,*
» *Cùm Venerem, in venas it Venus ipsa tuas.*
» *Viventi bis lustra decem, Fani Atropos aufert*
» *Fila, Jovis quia mens, vult sibi lecta dari* ».

## *Ejusdem de Eodem.*

« *Asculum ovat partu, fuit Hermes, Pallas, Apollo,*
» *Quos colui, sortis morte superbit humus* ».

## *Ex Pacifico in lucem prodierunt.*

I. Elegiarum libri XX. bis typis traditi, Florentiae anno M. CCCC. LXXXIX. per Antonium Miscominum; in-4°. et Bononiae cum hac epigraphe in

fine : *Johannes Jacobus de Benedictis* Bononiensis, Camerini excudebat, suis et Ludovici Placidi Camertis socii sumptibus, regnante inclyto Johanne Maria Varano duce, Quintili mense medio hujus anni christiani ritûs M. D. XXIII. in-4. Praemittitur epistola nuncupatoria *Jo. Jacobi de Benedictis Bononiensis Calcographi, illust. Julio Caesari Excell. Jo. Ma. Varani Camertium duci almaeque urbis praefecti* F.

II. Elegiae IV. ut *Gaddius* refert, Bononiae eodem anno.

III. De bello Spartasio. lib. VI.

IV. De bello *Cyri* regis, lib. VII.

V. De bello *Syllae* et *Marii*, lib. II.

VI. *. *Lucretiae*, lib. II.

VII. *. Virginiae libri totidem. Hos autem quatuor libros inscribit *Angelo Colotio* Aexinati.

VIII. Grammatica de regimine verborum Graecorum solutâ et vinctâ oratione conscripta ad *Hippolitum* filium; qui omnes Fani excusi fuerunt, partim ann. M. D. partim M. D. VI. per *Hieronymum Soncinum*.

IX. * Poema in laudationem eximii militum ducis *Joannis Salvalii*. Florentiae. An. M. CCCC. LXXXV.

X. *. Libellus de componendis carminibus ad magnificum *Jacobum Salviatum*. Ibidem eodem anno.

XI. *. Oratio habita apud senatum Lucensem in vexillorum assignatione. Item eodem anno et loco.

XII. Invectiva in *Angelum Politianum*.

XIII. De sapientiâ, lib. VII.

XIV. De castitate, lib. VIII.

XV. De moderatione animi. De bono. De Fato. De animâ, lib. IX. De divinâ providentiâ, lib. X. Ut ipse ait initio, lib. VII. Elegiarum, his ad lectorem versiculis:

« *Septem de sapientiâ libellos,*
» *De virtuteque, continentiâque,*
» *Et de relligione castitatis*
» *Octo, de moderantiâ, bonoque*
» *Et fato, ac animâ novem, decemque*
» *Scripsi de Superûm, Jovisque curâ.*
» *Non illos legis, et sinis perire?*
» *Hos mavis? Malus es. Bonum putabam.*

XVI. *Pacifici Maximi* Hecatelegium ad *Matthiam* Pannoniae regem, demtis tamen obscenis, una cum aliis ejusdem operibus, quae in supra adlato catalogo asterisco signavimus, curante *Antonio Maglіabecchio* viro celeberrimo, prodierunt iterum Parmae apud *Galeatium Rosatum* M. D. CXCI. in-4°. major.

# PACIFICI MAXIMI
## POETAE ASCULANI
## ELEGIAE JOCOSAE ET FESTIVAE.

### *Ad Paulinum.*

CONVENIT et laus est depellere crimina semper,
  Semper virtutes et benefacta sequi.
Qui vult se socium cuiquam praebere malorum,
  Vult etiam socii nomen habere sui.
Claudicat hic, quoniam cum quo commercia junxit,
  Unus erat longus, pes brevis alter erat.
Saepe aliquem vidi, balbo quod junctus adhaesit,
  Non satis integrae vocis habere sonos.
Saepe pecus totum vidi quod ovile peremit,
  Mille licèt pecudes, haec licèt una foret;
Saepe etiam laetis arbor pulcherrima pomis,
  Vicinae vitio languida facta perit:
Caussa mei moris solus fuit ipse magister,
  Cui pater et mater, me malè cauta dedit.
Rex paediconum fuit hic; non unus ab hujus
  Effugit manibus talis in arte fuit.
Multa quidem didici, quae non didicisse juvaret
  Plurima per culum, multa per ora bibi.

Tu quoque quod non hunc vitas, Paulline, quod ipsum,
  Cum quo conjungis non latus ipse vides?
Et mecum dubito, simili ne sorde traharis,
  Namque solet semper par adamare parem.
Non bona narrari de te jam fabula coepit,
  Per sua te populus plurimus ora terit.
Jamque Cani poteris longam succidere caudam,
  Prima novo non haec nomine fama cadet;
Et nisi tu sapies, nisi te revocabis ab isto,
  Non aqua te poterit tota lavare maris.
Hic a gallina subduceret ova fovente,
  Hic soleas vigili surriperetque pedi.
Si paedico tenet puerum complexibus arctis,
  Qua puer hic artem subtraheretur habet.
Sicque manum cohibet, sic linguam, victus ut esses
  Hermogenes furto, Batteque fraude tuâ.
Nuper in orchestra spectator fortè sedebam,
  Surripuit natibus molle sedile meis.
Non puerum tetigit, puero non verba loquutus,
  Non vidit, brachas attamen ille tulit.
Hujus avus fractâ pater hujus fauce pependit,
  Non aliter vitam finiet iste suam.
Te quoque, ne dubita, similis jam poena manebit,
  Respice si collo funis et uncus inest.
Non assis mea dicta facis, tibi dicitur illud
  Nemo datam pecudem subtrahet ore Lupi.

## *Ad Ptolemaeum.*

Si fueras Ptolemaee meus, tuus ipse: quid obstat,
 Num quoque quod nou es tu meus, ipse tuus?
Jamque bonus fueras, nunc tamen optimus, unde
 Optimus es non nunc, ut meus ante bonus?
Ante minor, nunc est major tibi gratia, cur non
 Est mea nunc major gratia, ut ante minor?
Difficilis fueras aliis, mihi mitis, es unde
 Mitis nunc aliis, difficilisque mihi?
Mirabar, quare tantum pietatis haberes,
 Nunc miror, quare nil pietatis habes.
Hei mihi quod miseris spes invidiosa fuisti,
 Spes tamen haec illis non nisi vana fuit.
Vera ne fata Deûm? verae sunt omnia vera,
 Sub coelo aeternum nil statuere Dei.
Vertitur adsiduo, minimà nec perstat in horà
 Mundus et in stabili non manet axe polus.
Nunc lustrat terras, nunc Sol descendit ad umbras,
 Clara dies noctem, nox sequiturque diem.
Sors etiam refugit, citò ni deprendis, abivit,
 Sistere non didicit, nec revocare pedes.
Me miserum, quod non quondam mea tempora novi,
 Num dare tu non vis, sponte quod ante dabas.
Saepe ego praelatam cùm nollet Asellus Asellam,
 Vidi, quod frustra post petit, illa negat.
Est resecanda seges, cùm campus canet aristis,
 Nil in nudato postmodo falçe metes.

Quae nunc poma gerit gravidis pendentia ramis,
  Postmodo nuda suis fructibus arbor erit.
O quotiens illic, ubi fons uberrimus undis,
  Erupit, pulvis non aqua lecta fuit.
Saepe ubi constiterat tellus, mare nascitur ingens,
  Saepe etiam tellus hic, ubi pontus erat.
Quantum aetas, annique valent, mutatus ab illo es,
  Nil primi moris mos habet iste tuus.
Tempora fecerunt crudelem, et tempora mitem,
  Crudelis nunc es, qui modò mitis eras.
Ast ego semper amo, nulloque extinguitur ignis
  Tempore, decrescit non mea flamma morâ.
Uror, et igne cremor majori, flamma medullas
  Major agit, major corde sagitta sedet.
Crevit amor, quantum crevit tua forma, nec unquam
  Decrescet, stabit dum mea vita mihi.
Et prius emoriar, tenuesque resolvar in auras,
  Quàm de te nostro pectore cura cadat.
Fortis amor meus est, nec tempore deficit ullo,
  Non me mutaret fulmen, et ira Jovis.
Et tu crudelis nullâ pietate moveris,
  Improbus in tanto quid facis igne mori?
Quid tua deceptus sinis alter ut ubera sugat?
  Inque tuam messem quid sinis alter eat?
Jam tibi servantur, quascumque, ingrate, paravi,
  Et nisi tu, nostras nullus habebit opes.
Illa etiam major multo est mea mentula, septem
  Tunc habuit digitos, nunc habet illa decem.

## *Ad amicos.*

Esto procul, quicumque meum te dicis amicum,
Inque meo nullum limine pone pedem.
Junctus amicitiâ si quis fuit ante, recedat,
Si mihi vel Pylades, Pirithousque foret,
Et sibi quisque vacet, curet mea nemo, sat ipse
Sum mihi, quisque suas res agat, ipse meas.
Quid mihi cum socio? Cur, quae mihi solus habere
Possum, dimidiâ nunc ego parte velim?
Nullus amor, regnumque potest commune teneri,
Haec duo cum socio non bene juncta manent.
Est mihi, subque mea retinetur clave puella,
Et magis haec ebore est, et magis alba nive.
Haereat illa licet mediis complexibus, aer
Ne subitus rapiat, membra timore rigent.
Ut motâ Lepores, ut Ranae fronde moventur,
Sic moveor, vento sic crepuere fores.
Est ejecta domo, dominae ne basia ferret,
Inter ludendum blanda Catella meae.
Et mihi Passer erat, sed et hic mihi causa timoris
Cùm foret, e caveâ est libera facta via.
De ligno quodcumque fuit, vel marmore signum,
Eduxi, stultum est haec retinere domi.
Quod mentem et sensum capiant simulacra capacem,
Sit satis exemplo Pigmalionis ebur.
Nil amor esse putat tutum, semperque timori
Servit, sollicitum noxque, diesque videt.

Me semper gemitus, languor, suspiria, luctus,
 Et dolor, et pallor, curaque tristis agit.
Sum miser, et videor felix, dicorque beatus,
 Hei mihi quod caecum pectore vulnus alo.
Nemo se melius se se scit, cogat in unum
 Cuncta, vole: semper quisque referre sua.
Non hoc esse, quod est, aliud sed saepe videtur
 Quae sunt nigra etiam candida saepe putas.
Et dulci tetrum miscetur melle venenum,
 Pungitur urticâ qui legit ungue rosam.
Hei mihi quae potui vitae dare tempora saevus
 Me miserum si non implicuisset amor;
Grande onus est humeris, nec par cervicibus haeret,
 Et mea non aequis sunt data colla jugis.
Quid faciam? Vult haec futui, nec talia novi,
 Nec, bene si novi, mentula posset opus.
Implicitus sum sorte meâ, sic volvor in orbem,
 Ut multo turbo verbere et arte citus.
Sed nihil est, quod non Superorum numina possint,
 Quod dederant aliis, dent precor illa mihi.
Salmacis admixta est puero, fit foemina Caencus,
 Mas modo, fitque Hyphis mas in Hyante suà.
Quod si tantillum staret sub veste, putarem
 Me coelum pedibus supposuisse meis.
O quàm viva mihi, bona quàm mihi mentula staret,
 Sive foret nusquam, mortua sive foret.

## *Ad Marcum.*

Non meliore mihi poteris occurrere, Marce,
Quàm nunc, non ullo commodiore loco.
Dispeream si non animus, sensusque fatiscit,
Defectosque artus frigus hyemsque subit.
Cùm te conspicio, cùmque haec mellita labella
Fingo sub impresso dente sedere meo.
Saepe loqui tecum volui, sed verba palato
Haesere, et subito lingua revincta gelu.
O quotienslacrymae, quotiens suspiria flammae,
Certa per indicium signa dedere meae.
Quid velit haec macies, quid pallor, et unda, cibusque,
Ore meo fugiens, curaque nulla tibi est.
Sed pia simplicitas facit, hoc puerilibus annis
Canaque virginitas te facit esse rudem.
Nescis quid valeant amata Cupidinis arma,
Nec tua senserunt pectora quid sit amor.
Durius hoc nihil est, nihil hoc et amarius unq,
Hoc dempto, mortes mille subire velim.
Scire velim si me penitus vis perdere, vel si
Unquam erit ulla meo spes adhibenda malo.
Vel modò des vitam, vel vitae tempora demas,
Vivere vel statui, vel modò velle mori.
Arbiter omnis abest, locus est sine judice tutus,
Foemina nil poterit, masque referre nihil.
Hic inter salices, et prata virentia fiet,
Frondibus immixtos arbor opaca teget.

Rivulus hic dulci suadebit murmure somnos,
  Multaque de ramis quae bene cantat avis.
Huc ades, atque sinus paullatim inlabere nostros,
  O desiderii cura laborque mei.
Nunc animam exhalare velim, cupioque moriri
  Inter blanditias, deliciasque meas.
Laetior in terra, nec coelo est alter, et ullus
  Non me majorem cogitet esse Jovem.

## *De Puellâ.*

Quisquis amat, longum non sit sibi taedia tempus
  Atterere, et tardis currat ut annus aquis.
Vidi ego montanis mollescere collibus uvam,
  Quae vento, et glacie dura, rudisque fuit.
Oraque marmorei quotiens consumpta notavi
  Fontis, dum gelidae fune trahuntur aquae.
Saepe Jovi pes est iterum formatus aheno,
  Admotâ trivit quem pia turba manu.
Quid docuit rigidis aures praebere magistris
  Hyrcanas Tigres, Parthasiasque feras?
Quid docuit Lybicos domino dare colla Leones?
  Quid facit, ut redeat, cùm citat alter avem?
Omnia maturo tempus producit in aevo,
  Et quod non posses credere, tempus agit.
Quod nunquam rebar, fieri quod posse negabam,
  Quod spes nulla dabat, longa dat ecce dies.
Ecce sedet gremio, mediis jacet ecce lacertis,
  Et cubat in tepido nostra puella sinu.

Haec est, quae totiens mortem juravit amanti,
Quae voluit totiens in caput ire meum.
Non haec, cùm vidit laqueis subnectere colla,
Cùmque ensem vidit stringere, tristis erat.
Ridebat lacrymas, gemitus ridebat amaros,
Et mea spernebat carmina, dona, preces.
A Cane vexato fuit haec truculentior Apro,
Haec et calfacto saevior Angue fuit,
Nunc me suspirat, de me nunc cogitat, illi
Nunc sine me nox est, nunc et amara dies.
Sponte dat, et majus quod multo est, cogor ad artem.
Sponte intermissum saepe reposcit opus.
Ergo ego sum felix, Jove sum foelicior ipso,
Audiat hoc quamvis, invideatque licèt.
Hoc etiam est aliquid potior post mille labores,
Saepe fatigato plus placet ore cibus.
Qui mala sunt passi, quae sint bona noscere possunt,
Ardua qui fuerant per loca, plana volunt.
Tum sapiet vinum, cùm praegustatur acetum,
Felleque libato dulcia mella juvant.
Tristis eram quondam, curâque premebar amarâ,
Nunc ego sum laetus, curaque nulla premit.
Longa dies dedit hoc, dedit hoc patientia nobis,
Cunctando foelix exitus ipse fuit.
Difficili, et duro nemo desperet amori,
Si, quod amat, quis vult, discat amare diù.

## *Ad Priapum.*

Miles in arma furens, rigidum vocat horrida Martem,
  Si quis amat, facilis sit rogat usque Venus.
Pallada, qui lanas, Cererem, qui ducit aratra,
  Tutorem pecudum, Panaque pastor habet.
Mercurius furi, pariturae maxima Juno,
  Et venatori casta Diana favet.
Te, natumque tuum pudet ad mala nostra vocare,
  Carminibus vires te dare, Phoebe, sat est.
Hortorum custos tu solus, summe tuorum
  Arte salutifera, sancte Priape, fave.
Sic tibi non desit maturi copia pomi,
  È manibus nullus fur fugiatque tuis.
Sic tu considas tectis sublimis eburnis,
  Ne Sol exurat, ne gravet unda caput.
Si Neptunus opem nautae praebere negabit,
  Fluctibus in modicis obruet unda ratem.
Quod si Vulcanus nulli succurreret igni,
  Flagraret subito quaelibet igne domus.
Tuque meum si non properas sanare Priapum,
  Decidet, heu non hoc nobile robur erit.
Ante meis oculis orbatus priver, et ante
  Abscissus foedo nasus ab ore cadat,
Non me respiciet, nec me volet ulla puella,
  In me etiam mittet tristia sputa puer.
Tunc delectat ager, gravidis cùm canet aristis,
  Vinea cùm pingues congerit uva lacus.

Sed semper laetis didicit fortuna nocere,
Indoluit nostris invidiosa bonis.
Laetior heu toto me non erat alter in orbe,
Si cadet hic, non me tristior alter erit.
Me miserum! Sordes quas marcidus ore remittit!
Ulcera quae faedo marcidus ore gerit!
Aspice me miserum precor, o per poma, per hortos,
Per caput hoc sacrum, per rigidamque trabem.
Summe pater miserere mei, miserere dolentis,
Meque tuis meritis fac precor usque tuum.
Hunc egò commendo tota tibi mente, Priape,
Fac valeat, fac sit sanus, ut ante fuit.
Ecce tibi officii quo sim memor, ista columna
Caerea ponatur, tantaque quanta mea est.
Vix prece finità signum dedit ille Priapo,
Quod me sanandi maxima causa fuit.
Quodque magis mirum est, nil sentit mentula morbi,
Convalui, et melius quàm prius, illa salit.
Illa salit, quicumque puer, quaecumque puella
Occurret, certum est hanc recacare trabem.

## *De Luscâ.*

Luscam amo, nec minus hanc vellem, si caeca fuisset,
Non opus est oculis plus satis unus erit.
Lumina si quis habet, teneat precor, et tegat illa,
Nam me cùm videor non juvat ulla Venus.
Hoc et honestatis, jubet hoc et causa pudoris,
Stultus erit, si quis non sua furta tegit.

Nemo unquam potuit patiens mea facta videre,
  Quod facta haec, non, ut facta referre potest.
Jussit amor tecto caelari gaudia pene,
  Non laetor, si non ille sepultus erit.
Illud opus cùm fit, si tantum spector ab uno
  Lumine, fit multo gratius illud opus.
Tum mihi, ni tamquam calce insultaret asellus,
  Ore potest nemo, nemo nocere manu.
Quod si luminibus caperer, non ipse macellis
  Abstraherer, pictis eximererque locis.
Per vineta gradus, et per canneta moverem
  Vere novo, rebus cùm nova gemma redit.
Qui laxat bellum, qui pacem claudit amarem,
  Aut Argum, aut Argo quas Dea pinxit aves.
Non pascor vana, nec re minus utile, nam me
  Quod facio, non quod specto juvare potest.
Aspicio multos, quos visus pascit inanis,
  Et juvat insana se saturare face;
Crede mihi, nihil hi sapiunt, nec dulcia noscunt,
  Qui possunt vento vivere, more Lupi.
Hos ego non timeo rivales mille, timerem
  Unum illum, insidias qui locat arte magis.
Hos cave, qui vadunt soli, qui lumina terrae
  Defigunt, mutos quosque putare potes.
Quis me cum socio videt unquam? Semper in urbe
  Solus eo, solus per fora, perque vias.
Et tamen hoc egi, quis credet? Mille puellas
  Pressi, quas castas forsitan esse putas.

Raro solet magnis rebus se accingere qui se
  Iactat, et in cunctis dicit habere modum.
Ardua qui loquitur, minimo solet ille timere,
  Qui latrat, praedam non capit ore Canis.
Pinguibus, ora tenet, qui tendit retia Turdis,
  Neve pedes crepitent callidus arte locat.
Crede mihi pauci norunt bene vivere, nullus
  Me melius futuit, vel potiora facit.
Non Canis, aut ullus melius me calcat Asellus,
  Nocte mihi tenta est mentula, tenta die.
Si mihi Lusca venit, bene Lusca fututa redibit,
  Inveniamque oculum si mihi caeca venit.

## *De Puellâ.*

Ni videat lacrymas, a me non credit amari,
  Lux mea, sic etiam me dare verba putat.
Cùm bene juravi, jurem tamen illa rogavit,
  Et cogor testes rursus habere Deos.
Flamma meo dixi fervet sub pectore, dextram
  Subjcit, et flammae nil habet istud ait.
Illam etiam medio quaestus sum corde sedere,
  In te si sedeo, quod petis, inquit, habes.
Et quotiens morior clamavi, rettulit illa,
  Non hominem vidi non moriendo mori.
Dii facerent, facili nudarem pectora dextrâ
  Inspiceret vulnus, quod miser intus alo.
Quod si luminibus posset deprehendere curas,
  Ut Calybem vincat, non mihi dura foret.

Dura tamen non est, Calybem nec pectore nutrit,
Pejus habet, rebus non dat inepta fidem.
Ut reor, haec ultra non credit culmen, et ullum
Infernum, aut Superum non putat esse Jovem.
Semper in errorem sors me traducit, et offert,
Nescio quid monstri, quid fatuique mihi.
Aut lusca, aut caeca est, aut est mammosa, vel illa
Culum unum, cunnos vel gerit illa duos.
Foemina res vana est, et nullo consita sensu,
Res mala, vel debet falce, vel igne mori.
Debuit haec nunquam nasci, vel nata revelli,
Non errat toto pejus in orbe malum.
Et meritò, quid enim totiens genus illud amare
Conor, et expertas quid male tento vias?
Non avis orditur nidos, ubi perdidit illos,
Quaque ratem rupit, navita, vitat iter.
Et qua conciderat vecors, it cautus Asellus,
Hic quoque ne rursus corruat, usque timet.
Illud non facio, nec tu, puto, lector, et illud
Si facerem, qui me jure probaret, erit.
Et nostrae quamvis sit turpe nefasque senectae,
Cogerer invitus turpe, nefasque sequi.
In scirpo nodum quaero, bona nostra puella est,
Sed quae nunc habeo, non ego nosco bona.
Oscula sub mediis memini fixisse labellis,
Juravit nullo me tetigisse modo.
Veste subinductâ petii sua gaudia dextrâ,
Me dixit nullam supposuisse manum.

Quid melius? Poterat ne mihi fortuna roganti,
  Vel meliora datis vel potiora dare?
Quid moror amplecti mediam, votoque potiri,
  Et mea non segni carpere poma manu?
Non est quod verear ne fiam fabula vulgi,
  Hanc ego si futuam, credo negabit idem.

## *De Palmerâ.*

O ego quàm bellum tempus sum nactus amicae,
  Si fortuna meo non nocet ulla bono.
Non miror fulvam Cresi nunc divitis arcam,
  Alcinoique omnes despiciuntur opes.
Non ullum occasus, non ullum vidit et ortus,
  Qui mihi letitià se putet esse parem.
Det mare Neptunus, styga Pluto, Juppiter astra,
  Mutarem superis non bona lecta tribus.
Haec ego si facerem, possem bene stultus haberi,
  Qui bene stat, caveat se removere loco.
Divitias animus laetus complectitur omnes,
  Non ullas animus tristis habebit opes.
Contentus sum sorte meà, nil amplius opto,
  Nam mihi nil addi, nilque deesse potest.
Si modò quod teneo non ullo tempore desit,
  Si sit perpetuum, perpetuòque fruar.
Quàm bene constitui vitam mihi, quàmque beatè,
  Quilibet ut vivat, discat ab arte meà.
Ut volo, nunc potior placidà, et sine labe puellà,
  Quà nihil est melius, simpliciusque nihil.

Credere non posses quanto me observet amore,
Quantùm amet, et quantâ serviat illa fide.
Nil capit haec a me; sed si quid porrigit alter,
Accipit, acceptum restituitque mihi.
Detque mihi quamvis uni, dat saepe Cynedis,
Hos mihi cùm vidit supposuisse nates.
Cùmque tamen fessa est, submittit saepe sororem,
Aut opus exercet junctâ sorore, soror.
Rem quoque cùm volui, laxat, rursusque coërcet
Seque parat cunctis ingeniosa modis.
Hanc ego cùm futuo, tum me futuisse per urbem
Omne genus, seu sit foemina, masve, puto.
Concessa est illi fatis aeterna juventus,
Quae data Phoebe tibi, quae tibi Bacche fuit.
Illa, ego dum vivam, vivet, mecumque peribit,
Deficietque illi, cùm mea vita mihi.
Si surgo, surgit, pariter si dormio, dormit,
Saepeque dum jaceo, me fovet illa sinu.
Surgentem vestit, nudatque cubare volentem,
Et lateri juncta est nocte dieque meo.
Et ponit mensas, coenamque ministrat et omnes
Ad mea, nil sumit, porrigit ora cibos.
Si quis erit nobis hostis, defendit ab hoste,
Nec sinit, ut laedar, membraque tuta facit.
Illa modò pro me superisque virisque minatur,
Pro me nunc superos, nunc rogat illa viros.
Haec et plura facit, sed nec narrare decebit,
Ut citò perficiam quo juvet illa modo.

Quis non invideat, quis non putet esse beatum?
  Quis non ante homines ponat et ante Deos.
Si quis erit facilis sensûs, mentisque capacis,
  Ne mea divulget quae sit amica, rogo.

## *Ad Somnum.*

Somne, precor, repetas nostrum sic saepe cubile,
  Somnia sic iterum vel meliora refer.
Somnia foelicem fecere, et somnia laetum,
  Vanaque qui dicit somnia, vanus erit.
Vera quidem mea sunt, nec me deceperat error,
  Quod caret effectu, dixeris esse nihil.
Vera fuit facies, nec falsa fefellit imago,
  Mille dedi amplexus, basia mille dedi.
Saepe ego compressi, rursusque iterumque puellam,
  Et mihi quo volui se dedit illa modo.
Unde tepet lectus? Calet hac quod parte cubile?
  Hic jacui, alterius pars fuit illa thori.
Lectulus hic ambos tenuit, requievimus ambo,
  Pressa sub amborum corpore signa manent.
Quae video, non sunt nostrae vestigia plantae,
  Est pede coelatus pes minor iste meo.
Hic caput adposuit; dextra haec manus, illa sinistra,
  Hic utroque fuit nixa recurva genu.
Linteaque officii variavit gutta recentis,
  Sordida siccato culcitra facta loco est.
Quid jaceo fessus? Latus hoc quid debile rupit?
  Membraque quid lentus coetera langor habet?

Illa salax, quondam quam nullus vicit Asellus,
En jacet officio mentula functa suo.
Meque citat rursus somnus, solet ille citare,
Cùm Veneris gratum debilitavit opus.
Juno saepe suum novit futuisse maritum
Cùm gravis illius somnus et altus erat.
Sic etiam Venerem somno cognovit aborto
Lemnius, armato succubuisse Deo.
Mille quidem sunt signa, quibus commissa libido
Inconfessa patet, nec bene furta tegit.
Vera loqui liceat, juvat hoc narrare; quod actum est,
Ut fecisse juvat, sic juvat acta loqui.
Gaudeo, si quando nova me capit ulla voluptas,
Nec bene laetitiam dissimulare queo.
Affectant alii nummos, palatia, campos,
Ex auro pelves, pallia, vina, cibos.
Una in me res est, una est mihi cura, Priapus
Ut meus hic futuat, cetera mando Deis.

## *De Mentulâ.*

Quid dices? Quamvis exaequet mentula palmas
Nostra duas, libras contineatque decem.
Esse tamen minimam queritur, dicitque pusillam
Lux mea, nil, cunno cùm tenet, esse putat.
Vix caelare queunt navalia lintea membrum,
Quo viso, tutus furibus hortus erit.
Cùmque aliam futui, timui periise puellam,
Illius facies ut morientis erat.

Hostia vix subii, subito cadit illa dolore,
  Factaque de geminis una fenestra fuit.
Me miserum tanta est, et tanti ponderis adstat,
  Ut tres a populo dicar habere pedes.
Magnus adest illi census, nec parva suppellex,
  Immenso si quis pene superbus erit.
Est auro melius tanto gaudere mutone,
  Pro tanto reges regna dedisse velint.
Utque suis nummis spectando gaudet avarus,
  Spectando sic me tanta columna juvat.
Est nive candidior, candoreque lilia vincit,
  Cúm jacet haec plumas, tentaque robur habet.
Hanc et majorem si quisquam adfectat, habebit.
  Haec mihi non nata est, sed mihi facta manu.
Utque mihi crevit, crescet tibi, fossor agellum
  Excavet, et largas spargat in arva fabas.
Crede mihi, melius valet hac me nullus in arte
  Nam bene qui totiens fecerat, ille facit.
Ipse manu didici properantem sistere venam,
  Et didici segnem sollicitare manu.
Omnibus his, nimio quos sentis pene superbos,
  Dicas, quòd multà mentula crevit aquâ.
Si bene vis tumeat, bene longa cucurbita fiat,
  In riguos hortos unda perennis eat.
Haec mihi quid prodest? Nostram non supplet amicam,
  Rem tantam tenuem dicit, et esse brevem.
Sarciat immensum, caecum, et sine fine barathrum,
  Funeque difficili terque quaterque liget.

Aut petat haec alium, membrum non tale videbit,
Taleque non coelum, tale nec orbis habet.
Efficite faciles Superi, nam cuncta potestis,
Me totum penem dicat, ut illa sat est.

## *Ad Pueros et Puellas.*

Ite simul centum pueri, centumque puellae,
Si volet esse meus ille, vel illa mea.
Me petite obsessum dum non est pectus amore,
Dum vacat, et dum non me furor ullus habet.
Ante fores stantem fortunam admittite vestram,
Si fugit, effugiet non retinenda magis.
Non ego nunc nummos posco, sed debita merces
Officii, cunnus, vel mihi culus erit.
Tempus adest pueris optatum et mille puellis;
Quid puer hoc lentus, lenta puella petis?
Lentus eris, mihi crede, puer, tu lenta puella,
Cùm fiam alterius, cùm nova jussa sequar.
Si non unus eris, si non eris una, venite
Mille simul, numerus non erit iste satis.
Vidi chortis aves uni servire marito,
Vidi uni pecudes mille subesse viro.
Non opus erucis, opus est non passere nobis,
Nec bulbis, fugiat quaelibet herba salax.
Unâ saepe decem memini me dulce dedisse
Horâ, nunc etiam quàm bene dulce darem.
Sed jam quid faciam? Serà tentigine rumpor,
Implerem que utres terque quaterque graves.

Jamque diù nullum novit mea mentula cunnum,
Effoditque maris viscera nulla diù.
Illa die tenta est, tenta est et nocte, nec unquam
Decidit, arrectum est nocte dieque caput.
Non puer haec audit, non audit verba puella;
Nemo venit, solitum dextra frequentet opus.

## *Ad Florentiam.*

Salve conspicuo Florentia picta decore,
Nunc primùm pedibus terra petita meis.
Salve, perpetuos serves in stipite flores,
Purpurei quales tempora veris habent.
Et tua sic Libyci distendant regna Leones,
Ut videas quidquid restat in orbe tuum.
Accipe me dextro non indignata poetam
Omine, felici teque petamus ave.
Arne, tuo mediam fluvio qui dividis urbem,
Ut sunt, hae nitidae sint tibi semper aquae.
Frater erat Tybris, sed fratris pontus, et orbis,
Jure tui imperii pontus et orbis erit.
Non grave sit, sacro tibi nulla injuria fiat,
Si pede per pontes saepe redibo tuos.
Saepe per hos, fateor, quando illa vel illa placebit,
Ibimus, et cùm me non aget unus amor.
Ut reor, implicitum non una puella tenebit,
Et nulla est quae non apta sit esse mea.
Non tot silva gerit frondes, nec pontus arenas,
Nec tot habet pisces unda, nec astra polus,

Quot gerit, et plures habet haec Florentia bellas,
Quas cupias uno velle tenere sinu.
Quaelibet insano me cogit amare furore,
Quaelibet insano me facit igne mori.
Si fortuna meo respondet laeta furori,
Nulla meas fugiet praeda petita manus.
Nunc hanc nunc illam, simul has futuemus et illas,
Quodque diù pascet mentula gramen habet.
Quodque prius non hanc petii me poenitet urbem,
Haec quoque, quae facta est, nostra fuisset anus.
Este mihi faciles nitidissima turba puellae,
Certatimque omnes vota subite mea.
Accipite, et lectis bene respondete tabellis,
Et mihi promissâ gaudia nocte date.
Falle virum, si qua es rigido conjuncta marito,
Falle tuam matrem filia, falle patrem.
Immemor officii non fiet musa recepti,
Sentiet et meritum quaeque puella suum.
Decantata mihi toto celebraberis orbe,
Et decus et facies non cadet ista diù.
Jamque opus adgredior, tantum mihi ferte papyri,
Quantum Niliacis fertur inesse locis.

## *De Puero.*

Ad me cùm puerum talem duxisset Etruscus,
Qualem rara solet mensa videre Jovis.
Hunc ait apprensà tota tibi tradimus aure,
Haereat ut lateri nocte dieque tuo.

Dîque, Deaeque velint isto tenearis amore,
  Si paedicabis, non nisi doctus erit.
Tunc ego, libertas placet haec concessa pudori,
  Cogor et officio parcior esse tuo.
A Cane me nosces longe distare rapaci,
  Cui digitum si das, arripit ore manum.
Nescio quod numen vultu consistit in isto,
  Hic plus humanâ sorte vigoris habet.
Ne dubita, bonus est, melior jam fiet, ab omni
  Doctrinam dices parte bibisse meam.
Laetus abit, capio laetus mea gaudia, longam
  Omne mihi visum est tempus habere moram.
O mactâ virtute patrem, solumque probandum,
  Et qui tam magna solus in urbe sapit.
Hic puero culum, penem ligat ille magistro:
  Creditis hoc stulti discere posse modo?
O fortunatum cui me fecere magistrum,
  Grataque cui talem fata dedere patrem.
Hei mihi quàm lentas Sol hic descendit in umbras,
  Hei mihi quàm lento nox subit atra pede!
Nos thalamus quando junget complexibus ambos,
  Visaque quando oculis haec erit ora meis?
Hic citharâ miseros noctu cantabit amores,
  Ille gemet, rixas unus et alter aget.
Tum tibi fabellas gremio narrabo jacenti,
  Tum mihi narranti basia longa dabis.
Cùm venti efflabunt, somnum captare placebit,
  Et cùm de tectis tinnula gutta cadet.

18

Meque tua inlabi fessum cervice juvabit,
  Et lassum admissà rumpere luce latus.
Alter opes, nummisque gravem desideret arcam,
  Jugeràque insano vertere lata bove.
Scire voles carmen; dictabo carminis artem,
  Quattuor ut deceant, ut modò quinque pedes.
Ut modò quae brevis est, fiat tibi syllaba longa,
  Quà solet attolli, quà solet arte premi.
Saepe tibi nervos tendam, plectrumque movebo,
  Saepe meam faciam te retinere lyram.
Verus eris vates, sacrà cingére coronà,
  Ponetur foribus laurea festa tuis.

## *Non differendum.*

Omnis ab antiquis renovatur moribus aetas,
  Et puer est omni doctior arte sene.
Resque novas semper video, semperque renascor,
  Mutato fio semper in ore novus.
Candida simplicitas cedit puerilibus annis,
  Consilioque senex non valet, ille valet.
Cùm fuit hic mecum longo post tempore, dixit
  Omnia debueras poscere, lentus eras.
Lentus eram nimium, nimium mea vota morabar,
  Qui deplumat avem, quam tenet, ille sapit.
Stultum est velle iterum Leporem revocare relictum,
  In casses raró praeda remissa cadet.
Oh quotiens aliquem vidi, cùm sera senectus
  Aggravat, amissi poenituisse boni.

Non redit ulla dies, pedibus volat illa citatis,
Et celeri facilis labitur hora die.
Quod fuit, hoc non est; quod adest, non erit unquam;
Quodque erit, ambiguum est, utere quidquid adest.
Non gravidas semper laetus fert campus aristas,
Nec pingues uvas vinea semper habet.
Multa miser potui, quae non fecisse dolori est,
Torqueor in lentâ me tenuisse morâ.
Tempora non novi stultus mea; sponte favebat
Quisque puer votis, quaeque puella meis.
Oscula non sumpsi totiens porrecta, negabam
De mensis vecors sumere poma meis.
Poenitet, et si non serum est reparabimus omne
Tempus, et ammissum quod fuit ante, fruar.
Sed bene stat, miserumque foret, si forte venirent,
Nil facerem, non haec mentula posset opus.
Hei mihi non centum possent relevare jacentem
Furcillae; extinctum sic premit illa caput.
Mentula si moritur, moritur non ulla voluptas,
Paedicare senex si nequit, usque cupit.

## *De Martiâ.*

A me juravit nunquam cessare Cupido,
Tunc ego cùm moriar, saevus abibit amor.
Juravi quoties collo removere catenas?
Sed bene cùm juro, tunc bene colla ligo.
Saepe fui strictum conatus solvere nodum,
Cùm conor nodum solvere, jungo duos.

Sic minimo revocatur amor, crescitque resumptus,
  Et vires geminâ fortius auget ope.
Ut nondum extinctus, sed adhuc in stipite vivus
  Ignis ab accepto flamine major erit.
Ut si quis vulnus bene non sanaverit aeger,
  A malè sanato vulnere pejus habet.
Credideram dempsisse jugum, superasse furorem,
  Quodque meo fuerat corde fugasse malum.
Heu gravius recidi, graviori absumor ab igne,
  Inque meo gravior pectore flamma sedet.
Qui semel effraeno sese subjecit amori,
  Ille sui poterit juris habere nihil.
Illeque non poteris gravidi non velle furoris
  Servitium, nullo tempore liber erit.
Saepeque differtur, sed non extinguitur ardor,
  Sopitur potius, quàm cadat ullus amor.
Montibus interdum vacuus venabar in altis,
  Urgebantque Canes in mea lina feras.
Arboris interdum ponebam membra sub umbrâ,
  Qua daret exiguae murmura rivus aquae.
Et nunc per latos campos, et prata regebam
  Inlongos cursus ora ferocis Equi.
Saepe vagis totà spatiabar lentus in urbe
  Passibus, in nullo limine certus eram.
Forte tamen dubio dum sic errore trahebar
  Per nemora, et nemorum per loca sola vagus;
Nescio quid sensi, vel me sensisse putavi,
  Mota tamen paullum canna palustris erât.

Accessi, propiorque fui: quis crederet unquam,
  Lilia stringebat lux mea summa manu.
Visa dedit risum, risus revocavit amorem,
  Sopito major venit ab igne focus.
Risit, et ex imo suspiria pectore traxit,
  Et sic est misero molliter orsa loqui.
Ad te, si nescis, venio, cape gaudia longae
  Desidiae, et collo brachia necte meo.
Insere blanda meis tua basia mille labellis,
  Totaque sim toto corpore juncta tuo.
Sed tamen hinc salices placidi tendamus ad amnis,
  Divulget nostros ne mala lingua jocos.
Haec ait, et tenerae juncta est mea dextera dextrae,
  Et juncti ad salices tendimus, et futui.

## *Ad Martiam.*

Martia quid quaeris flammis imponere finem?
  Lassatur vetus, non satiatur amor.
Crescere blanditiis didicit furor, omnia quamvis
  Concedas, videor nil habuisse mihi.
Cùm bene junguntur, tunc desperantur amantes,
  Pluraque cùm nequeant poscere, plura petunt.
Sic gravis ingestis focus increbrescit aristis,
  Sic flammis positae dant alimenta faces.
Ad mare quis nescit de totà currere terrâ
  Flumina? Sed nullis se mare replet aquis.
Quamvis non hederae serpant in stipite Quercus
  Arctius, aut vitem non magis Ulmus amet?

Te tamen extremos credo penetrasse sub Indos,
  Cùm premar a gelidi frigidus axe poli.
Tunc ad submotos puto me migrasse Britannos,
  Cogito tunc Arabes me petiisse leves.
Non fuit amplexus conjunctior ille duorum
  Serpentum, prato cùm jacuere duo,
Quos jam Tiresias baculi violaverat ictu,
  Cúm fuit ex ipso foemina facta viro.
Unaque Najadum foelix est Salmacis, illi
  Contigit ut mixtae corpora juncta forent.
Crudeles Superi, crudelia jura Deorum,
  Pessima Junonis, pessima facta Jovis.
Qui nihil aeterni nobis cessere, piumque
  Humanum tantum destituere genus.
Cetera luminibus qui respexere benignis
  Mitius in torvas seque habuere feras.
Longaevus didicit Serpens spoliare senectam,
  Lubricus in prato est, qui modò segnis erat.
Qui modò dente gravi teneras male carpserat herbas,
  Nunc nova mutatus cornua Cervus habet.
Unica fertur avis flammis se imponere, rursus
  Vivere, deque rogo nunc nova cantat avis.
Ecce dies qui nunc celeri delabitur horà
  Cras erit, in primà luce renatus erit.
Occidat hic quamvis Sol, scit tamen ipse redire,
  Nec nosti canas ponere Phoebe comas.
Omnia cùm redeant, reditu caret ipsa juventus,
  Occidit illa semel, perpetuòque jacet.

Vivamus : serum est cras vivere : junge labella,
Perque mea implicitus membra lacertus eat.
Passeribus vernis certemus, blanda Columbae
Basia mirentur quo damus illa modo.
Vincant haec numerum, superent haec mille Catulli
Oscula, blanditiis invideatque meis.
Ilia rumpamus, totis resoluta medullis
Ossa fluant, omni stillet ut unda pilo.
Vivamus, turpesque senes, quos lenta senectus
Moribus opponit, nullius assis erunt.
Utilis et mollis tacitè jam labitur aetas,
Dum loquimur, longas protrahimusque moras.
Congredere, et sanctae repetamus gaudia vitae,
Et sint cum multis gaudia mixta jocis.

## *De puellâ.*

Solus eram, si non mecum foret ignis, et angor,
Et dolor et gemitus, sollicitusque timor.
Ante fuit nitidus fons pellucentibus undis,
Proxima vicinum gramen alebat aqua.
Perpetuis circum densissima silva virebat
Frondibus, e ramis multa canebat avis.
Membra solo posui virides porrecta per herbas,
Substinuit mento dextera nixa caput.
Aut has, aut similes effudi pectore voces,
Jactaque sunt surdis talia verba locis.
Ecquem vidistis sic intabescere silvae?
Ecquem crudeli sic in amore mori?

Non ullis precibus, lacrymis non flectitur ullis
  Lux mea, turbato est surdior illa freto.
Non amat, et non vult a me crudelis amari,
  Meque jubet mentem rebus habere meis.
Hanc ego si specto, vel si quid dicere tento,
  Saevior est Ursis, asperiorque Lupis.
Eque meà rapidos facie vis temperat ungues,
  Confectum cura cùm videt esse mea.
Et tamen haec quanto minus, et minus audit amori,
  Hoc magis insano cogor amore mori.
Quid faciam? Si me velit ire per arma, per ignes,
  Subque undas, in me non erit ulla mora.
Nunc jubeat caveâ catulos efferre Leenae,
  Et nunc aut Ursae, vel velit illa Lupae.
Nuda venenatis opponam pectora telis,
  Si lateri cephalus dirigat illa meo.
Pectora vel tenui praebebo nulla sagittae,
  Sit licèt Hylaei missa sagitta manu.
Haec ego jactabam, meditantem plura reliquit
  Vox mea, plus vetuit spesque timorque loqui.
Nec mirum est, animum subitus si casus ademit,
  Perdiderant solitum guttura vocis iter.
Fit fragor a tergo, collumque amplectitur ulnis,
  Mille mihi dantur basia, mille modis.
Ipsa erat, ipsa mihi visa est delapsa per auras,
  Ad mea non segnis vota, pigerque fui.
Ambo simul juncti fuimus, quid fecimus ambo,
  Qui nescit sanae non bene mentis erit.

## *Ad mentulam.*

Mentula quid surgis? Quid vis? Quid pallia rumpis?
  Quid non sub nido, sub tunicaque lates?
Quid caput hoc fumat, nebulasque exhalat opacas?
  Quid rubricato vertice tenta tumes?
Ad pueros iterum, mollesque redire puellas
  Auderes multis non satiata malis?
Ad quas non animus tuus hic descenderet artes?
  Ad quod non traheret te scelus iste furor?
Jam tibi bis quintus consul trigesimus extat,
  Et jam bis septem lustra peracta vides.
Tempore jam cunctis solet hoc extincta jacere,
  Sed tu plus ferro, roboribusque vales.
Convenit haec juveni stimulos facientibus annis,
  Quique novis coepit spargere semen agris.
Carmine non ullo, non ullà cogeris arte,
  Non facit hoc passer, nec facit herba salax.
Et verum est, vitium quod primis nascitur annis,
  Quod solet ad seros saepe venire dies.
More tuo facis hoc, tuus est qui suscitat usus,
  Et gula consuetos poscit habere cibos.
Ast ego te saturam demens, fessamque putabam,
  Et grave te nunquam posse levare caput.
Nec pudet actorum, cupis ad pejora venire,
  Atque mala innumeris accumulare malis.
Nil tibi quod donem, restat; tu cuncta vorasti,
  Quod pater et mater, quodque reliquit avus.

Quidquid conspicui totâ fuit urbe volebas,
  Resque fuit voto nulla negata tuo.
Et tibi nil renui, dum tu contenta fuisses,
  Et pro te nostris est data furca bonis.
Tu mihi nil unquam peperisti perfida lucri;
  Ditavit plures mentula tenta viros.
Non vetulae, viduaeve tibi, mancaeve placebant,
  Sed delecta famem non nisi pavit avis.
Miror quid nimium non sis consumpta per usum,
  Quamvis de ferro facta vel aere fores.
Si sapis, et sensu non es deserta, videbo
  Effaetae quantus sit tibi stare pudor.
Quin potius compesce tuos ratione furores,
  Teque doma, et fatuo subtrahe calcar Equo.
Inque aliud differ tempus, non utile tentas,
  Nunc nihil est, aliquid cras tibi forsan erit.
Dum loquor, istius nulla est clementia vultus,
  Usque tumes, vomeres, ejiceresque dapes.
Expecta: dum molle mihi suppono sedile,
  Et sputo, et manibus te saturabo meis.

## *De Matronâ.*

Si quis ades paedico, cave, ne carmen ad aures
  Hoc veniat, si quis sit tibi forte puer.
Forte meum legit penem matrona, tenere
  Hunc statuit cunno, si sciat ipsa mori.
Hoc si consequitur, jurat non amplius horam,
  Ut vivat, minimam sollicitare Deos.

Proque hoc votivis onerat pia templa tabellis,
Et jacit in sacris thura Sabaea focis.
Ne me comburat, cùm conspicit, occupat horror,
Neve fero, subitus fit timor, ore bibat.
Scriptaque vera putat, credunt et mille Cinaedi;
Hei mihi quod vati est non adhibenda fides.
Dii facerent, terrà pauper spoliarer et auro,
Et modo quae scripsi, vera fuisse velint.
Mentula tam parva est, tam pars mihi deficit illa,
Ut mihi non natam vel cecidisse rear.
Tangere non digitis, oculis nec cernere possum,
Hisque bonis nimium sors mea lenta fuit.
Teque sequi possem Cybele non inguine secto,
Nil opus est testà, jam tibi Gallus eram.
Turpe quidem dictu, liceat sed vera fateri,
Nullus me pejor vixit in orbe puer.
Dum potui, faedae Veneri servire paravi,
Hanc paediconum duxerat usque manus.
Viscera versarunt magnique et mille mutones,
Calcatusque die nocteque culus erat.
Si paedicari quicquam valuisset in illà,
Tenta caput posset tangere, pressa pedes.
Nil mihi profecit, nil haec mihi crevit, et usu
Consumpta est nimio forsitan illa suo.
Quilibet hoc unum puer, ut sua mentula crescat,
Optat, et ut magnam compleat illa manum.
Itque frequens rumor nimium prodesse tenere,
Haec una est vitii maxima causa mali.

Tantam quisque geret, quantam natura creabit,
  Haec faciet longam, si volet, atque brevem.
Ne confidatis natibus, sunt omnia ficta,
  Quò paedicemus, dicimus ista, mares.
Et placeat nulli vos subdere more ferarum,
  Sitque per amplexus ora dedisse satis.
Inde calet culus, digitisque evellitur, inde
  Ficus habet miseras, atque marisca nates.
Inde aliquem vidi tanto pallore teneri,
  Ut faciem credas immaduisse croco.
Adde quod hinc olidas hircus celer ibit in alas,
  Mirandosque dabit barba molesta pilos.
Et saepe in partes centum discinditur illi,
  Ut sit opus sarctas ustulet igne nates.
Non aliter vidi nimio vel Sole, vel imbre,
  Punica disrumpi cortice mala suo.
Curtius immergi non hunc foret ausus hiatum,
  Utque esset tuus hic Amphyaraë timor.
Hei mihi quò fugiam? terrâ ne latebo, vel undâ?
  Quae spelunca dabit, quae mihi silva locum?
En matrona venit furiali concita flammâ,
  Quid misero fiet? Pes fuge, curre, vola.

## *De Gemellis.*

Ecce iterum pereo, bis sum tua praeda Cupido,
  Tradoque bis junctas in tua jussa manus.
Insani nunquam requies erit ulla furoris,
  Prima nec extincta est, altera cura subit.

Quod tamen hoc genus est? Quod ponam nomen amoris?
  Et sub quo titulo flamma furoris erit?
Heu novus ignis adest, et nulli cognitus ardor,
  Cognitus hic unquam non fuit ante furor.
Credere quis posset geminos ardere Cinaedos?
  Quod magis est uno tempore velle duos?
Hunc ego cùm laudo, tunc est laudabilis ille,
  Cùmque magis placet hic, tum magis ille placet.
Illum suspiro, facit hic, suspiria ducam,
  Ille cor, hic etiam dissipat usque meum.
Cùm tamen ex illis veniat fax una duobus,
  (Quis putet) ex uno fax geminata venit.
In geminis semper tantum mens cogitat unum,
  Inque uno semper cogitat illa duos.
Alba jacent illis tales per colla capilli,
  Quales, Bacche, tibi, nec tibi, Phoebe, jacent.
Virginei vultus, oculi flammantis Olympi,
  Certant Poestanas vincere labra rosas.
Ch quales humeri, quales digitique, manusque,
  Sub castigato pectore quale latus.
Incessuque graves, gestu moderamina servant:
  Singula quid referam? Cuncta probare potes.
Si pariter cupidis illos amplecterer ulnis,
  In quâ nescirem tunc ego parte forem.
Oscula si ferrem mediis inserta labellis,
  Cum sensu fierem tum sine mente meâ.
Caetera si facerem, fieri si caetera possent,
  Hic inter medium spiritus iret opus.

Quid me torquetis lenti mea vita Gemelli,
  Et quid me lento perditis igne pares?
Gloria quae magna est, si me duo perditis unum,
  Arbitrio quorum colla manusque dedi.
Parcite crudeles tantâ feritate teneri,
  Parcite crudeli pascere corda nece.
Perdetis fato plus quàm vos creditis illo,
  Plus etiam damni quàmque putetis, erit.
Si pereo, pariter vestri quoque fama peribit,
  Non erit hic qui vos vivus in orbe canit.
Ambo meae mortis celebri conscripta sepulcro,
  Infames eritis causa pudenda meo.
Talibus ut caelet, mando, successor et haeres,
  Quod mea jam marmor conteget ossa, notis.
Pacificus jacet hìc gemino correptus amore,
  Quem, quos dilexit substinuere mori.

JOANNIS JOVIANI PONTANI

# AMORES.

# DE JOANNE JOVIANO PONTANO.

JOANNES *Jovianus Pontanus*, Caeretanus ex agro Spoletano, anno M. CCCC. XXVI. mense Decembri natus est. *Joviani* nomen ex more illorum temporum Neapoli assumpsit, ubi apud *Ferdinandum* I. regem gratià multum valuit, cui primum a secretis fuit, post filii *Alphonsi* II. inspector, ac postmodum a secretis. Obiit anno M. D. III. aetatis LXXVII. De vità ejus consulendus *Niceronius*, tom. VIII. pag. 265. seqq. *Jac. Gaddius* de Scriptoribus non Eccles. tom. II. pag. 164. seqq. et *Apostolus Zenus* Dissertazioni Vossiane. Venezia per Gio. Batista Albrizzi. M. D. CC. LIII. in-4. t. II. p. 172. seqq. Plura, nuperis annis, de *Pontano* congessit *Robertus de Sarno* in libro inscripto: *Joannis Joviani Pontani vita auctore Roberto de Sarno, congregationis Oratorii Neapolitani praesbytero. Neapoli. M. D. CC. LXI. excudebant fratres Simonii. in-4.* Opera ejus edita sunt Venetiis per Bernardinum Vercellensem anno M. D. I. in-fol. Poeticorum verò prima pars prodiit Venetiis in aedibus Aldi Romani, M. D. V. in-8. Quae editio repetita est apud eumdem Aldum et Andr. Asulanum, M. D. XIII. et tertiò apud haeredes

Aldi anno M. D. XXXIII. Eamdem operum poeticorum primam partem impressit Florentiae Philippus de Giunta anno 1514; sed mutila est ejus editio, in quâ desiderantur nimis procaces et festivi versus, imo et multi alii; nempè Hendecasyllabi, Tumulorum liber, Naeniae et Epigrammata. Quinta extat editio absque ulla Typographi et anni nota, litteris Italicis excusa, ad editionem Aldi Romani.

Poeticorum secunda pars prodiit Venetiis Apud Aldum et Andream Socerum an. M. D. XVIII. in-8.

Opera vero solutâ oratione composita impressa sunt Venetiis, in Aedibus Aldi et Andreae Soceri, ann. 1518-19, tribus tomis in-4. Postea Florentiae apud Philippum de Gjunta an. 1520. tom. VI. in-8. Omnia vero conjunctim. Basileae, 1538, v. IV. in-8.

J. J. Pontani opera philosophica quae tomo primo Aldinae editionis continentur anteà Lugduni impressa fuerant, expensis Bartholomei Troth, anno 1514, in-8. Quae editio rara est, paucissimisque cognita.

Tumulatus est Pontanus in sacello abse sepulcri causâ extructo è regione *Davalorum* domûs Neapoli, ubi elogium a se compositum in marmoreâ tabulâ spectatur, quod ita se habet.

Vivus domum hanc mihi paravi,
In quâ quiescerem mortuus.
Noli obsecro injuriam mortuo facere,
Vivens quam fecerim nemini.

Sum enim Jovianus Pontanus,
Quem amaverunt bonae musae;
Suspexerunt viri probi,
Honestaverunt reges domini.
Scis jam qui sum, aut qui potius fuerim.
Ego verò te, hospes, noscere in tenebris nequeo:
Sed te ipsum ut noscas, rogo; vale.

## *Marci* ANTONII FLAMINII.

Qui cecinit claro fulgentia lumina coelo
Pontani doctis versibus, Urania,
Phoebe tuis magnam lucem addidit ignibus, utque
Nunc melius niteant sidera cuncta, facit.

## MYRTEI.

Qui vos sidera clara, citriosque
Flores Hesperidum hortulis virentes
Versibus cecinit laboriosis,
Pontano date sidera alma lymphas,
Vos horti date serta, quae sepulcrum
Ornent perpetuo cadente flore,
Spargant perpetuo cadente rore.

Ejusdem Pontani carmina Hexametra *de se ipso post obitum* leguntur ad finem libri V. *Uraniae*, foliis 107 et 108, edit. Venetae, 1513, in-8. suprà citatae.

# JOANNIS JOVIANI PONTANI
# AMORES.

## *Ad Fanniam.*

Candidior niveâ Veneris, mea Fannia, plantâ es
  Et Charitum tenero lactea crure magis,
Aurorae praelata coma, praelata nitore.
  Hebe munditiis cesserit ipsa tuis.
Cesserit aspectu Lede, Hermioneque papillis,
  Flora genis, cedat Tyndaris ore tibi,
Nigra que formoso furata es lumina Amori,
  Et per te caecus dicitur ille puer.
Naiadum illecebris cùm sis lascivior, et sit
  Usque comes dictis gratia blanda tuis.
Ambrosia hinc teneris stillat tibi roscida labris,
  Ambrosia hinc roseo spirat ab ore tibi.
Hujus in amplexus Superi properate. Sed ipse
  Praeveniam, nec tu bella puella neges.
Magna peti fateor, verùm mihi magna petenti
  Contingat niveo pectore posse frui.
O mihi si liceat partes tractare latentes.
  Cedite Di, hac vincam conditione Deos.
O bona non tractanda homini bona digna rapina
  Coelicolum superis o bona digna locis.
Deficio, gelidis suffundite tempora lymphis,
  O desyderii lenta cupido mei.

## *Hymnus in noctem.*

Nox amoris conscia, quae furenti
Ducis optatam juveni puellàm,
Grata Dis magnis, et amica blandae
Nox bona Lunae.
Quam colunt unam Geniusque, Hymenque
Et suo gaudens Erycina nato,
Cùm ferus diras acuit sagittas,
Tendit et arcum.
O voluptatis comes et ministra
Quae bona ex te fert thalamus, torusque,
Quas sopor fert illecebras, jocosque,
Delitiasque.
Quas simul juncti faciunt amantes
Inter amplexus trepidumque murmur,
Inter et ludos, tenerasque rixas
Dum furit ardor.
Dum micant linguis, animaeque florem
Ore deducunt querulo, parique
Concidunt motu, resoluta postquam
Grata libido est.
Tu quies rerumque, hominum sola
Tu graveis curas, et amara fessae
Amoves menti, et refoves benigno
Pectora somno.
Tu reddis mundo redimita frontem
Siderum sertis, reficisque grato

Rore perfundens violaria, agros
Frugibus exples.
Da meis finem Dea magna votis
Et quod optamus liceat potiri.
Ne voret tristis penitus calenteis
Flamma medullas.

## *Ad Fanniam.*

Amabo, mea cara Fanniella,
Ocellus Veneris, decusque amoris,
Jube isthaec tibi basiem labella
Succiplena, tenella, mollicella,
Amabo, mea vita, suaviumque
Face istam mihi gratiam petenti.
Ah quid lenta tuum times maritum?
Ne time, leviter suaviabor.
Apes ut tenero studens liquori,
Libat summa Thymi, aut Crocon rubentem,
Summa vix tibi suxerim labella,
Isthaec dico labella mollicella.
Quae me tam facient citò beatum,
Quàm fiam citò, si neges, misellus.

## *Ad puellas.*

Oh dulces animi mei lepores,
Solae deliciae meae camoenae,
O plus quàm Veneris papilla bellae,
Et nympharum oculis venustiores,

Amabo, mea basiate labra.
Da mihi basia, Gelliana, mille,
Da quot Lesbia jam dedit Catullo,
His addas volo millies trecenta,
Da dulcis totidem, Medulliena,
Oh desiderium mei furoris,
Phyrne, consere labra cum labellis.
Pugnent humidulae per ora linguae,
Innitens manibus meoque collo
Pendens, in numerum et modum columbae,
Coeli sydera vince basiando.
Hyblaeo Glyca suavior liquore;
Si me vel digito semel lacessas,
Cordis deliquium meum videbis.
Sed me nunc animus meus relinquit;
Ah me nunc fugis, ah fugis, miselle,
Clitinam petis, et petis Velinam,
Qui fiet, miser ut duobus unus
Vivas pectoribus? Redi miselle,
Nam si Faunia viderit vagantem
Invitum capiet, tibique pennas
Victrix eripiet, redire nunquam
Ad me tu poteris, morique coges.

## *Ad Charisium.*

Fannia formosa est, Charisi, Fannia pulcra est,
Totaque mollicula est, totaque lacteola est,

Et cum lucidulos in me convertit ocellos,
Tota Venus, tota est Fannia nequitia.
Basiaque humidulis cum sumit rapta labellis,
Tum mihi de coelo spargitur ambrosia.
Haec mihi praeripuit sensus, et amara videndo
Vulnera dat, lacrymis excubat illa meis.

## *Adloquitur suspiria et lacrymas.*

Oh jucunda mei suspiria nuntia cordis,
Oh oculi nunc jam flumina, non oculi.
Haec mandata, meae constanter ferte puellae,
Gaudeat, ut solita est, fletibus illa meis,
Sensisti ne graves, immitis Cinnama, poenas
Sensisti ne meus quàm miserandus amor ?
Perfida me crucias, cùm possis sola juvare,
Heu heu, nam per te, perfida, nunc morior.
Quàm leviter poteras fato subducere amantem,
Sed moriar, titulus sit mihi mortis amor.
Si non magna satis periisse in amore puellae,
Quantulacumque tamen gloria, dulcis erit.
Pallidus a misero cessisset a corpore langor,
In vultu si quid dulce notasset amor.
In verbis si mite aliquid, spes omnis amantûm,
Ex oculis, oculi nil nisi triste ferunt.
Ore Arabum nemus inspirans, ver ore remittis
Unde tibi nomen, Cinnama, dulce fuit,
Oscula si summis saltem mihi pacta labellis,
Concessum, ambrosio si semel ore frui,

Languidulis animam poteras tum reddere membris,
Et nudum inferno me revocare lacu.
Non mala Persephone laetum properasset acerbum,
Non juveni pallens Styx adeunda foret;
Non Phlegetonteae sentirem incendia ripae,
Eumenidûmque Angues, terrificumque Canem;
Sed tecum carae duxissem blanda juventae
Tempora, subque tuo factus amore senex.
At tu sancta Venus nostro succurre labori,
Tu Dea, tu vati Cypria parce tuo.
Diligat illa, suumque et amans suspiret amantem,
Et jungi cupiat pectora nostra suis.
Proque meis lacrymis totidem succende favillas,
Omnia sunt illi cognita nostra mala.
Quem fugit cupiat, quem non est passa juvare,
Nunc amet, uratur sic magis, inque dies.
Sancta favet, jamque et placidis adrisit ocellis,
Aureolumque dedit lux mea basiolum.
Basiolum, nigrà quo me revocavit ab undà,
Atque animam fessis reddidit articulis.
Quo sine non Arabum Silvae, non rura Sabaea,
Ambrosiae spiret nec sine mollis odor.
At tibi servati tanto pro munere vatis,
Sudabunt tepidis thurea dona focis.
Et tibi cantabit laudes mea tibia, per te,
Cinnama dura prius, Cinnama facta bona est.

## *De suavitate amoris.*

Blanditiis amor est, et succo melior omni,
Melle quoque et dulci dulcior, ac melior.
Hoc condimento coelestis mensa Deorum
Vescitur, idcirco gratior ambrosià est.
Namque ubi non amor est, ubi non miscentur amoris
Suavia, nil lauti, nilque leporis inest.
Haec juvenes cantent, quibus est Cytherea benigna,
Nam mihi felle malo tristior ac gravior.

## *Ad Cinnamam blandè.*

Da mihi basiolum, mea Cinnama; quale furenti
Ante hac nulla viro foemina subripuit.
Cumque meis pariter conjunge labella labellis,
Pro serpente mihi sit vaga lingua duplex.
Morsibus in blandis desit dens, murmura desint,
Exclususque vagâ spiritus ex animâ.
Lascivum satis est, quod mollis Francia libat,
Verùm hoc aureolum est, Cinnama, basiolum.

## *Ad seipsum adhortatio ad novos amores.*

Quingentas solitus cùm sis adamare puellas,
Nunc ab amore tuo quid, Joviane, vacas?
An quia difficilem sese tibi Fannia praebet?
Et rigidos mores forma superba facit?
Cùm tot sint faciles, sit copia mollis amorum,
Quaere aliquam tibi, quae sponte placere velit.

Quae tibi se dedat, cui sis et carus ocellus,
  Cui dicas jam jam Fannia nulla mihi est.
Ipsa tibi dicat, mea lux, mea vita, meus flos,
  Liliolumque meum, basiolumque meum.
Clarior et gemmis, et caro carior auro,
  Tu rosa, tu violae, tu mihi laevis onix.
Deliciae cultusque meus, mea gaudia solus,
  Corque meum, et prae te nil juvat esse meum.
Et quingenta simul capiat tunc basia raptim,
  Et sine mente oculos volvat agatque suos.
Ac linguam querulo cum suxerit ore trementem,
  Exanimis collo pendeat ipsa tuo.
Tunc dices : Amor est succo jucundior omni,
  Dulcior et melle est, suavior ambrosia est,
Nec tibi quingentas fuerit sat amasse puellas,
  Nil numerus certe, nil in amore valet.

## *Ad vicinos.*

Vicini moneo, bene ac pudice
  Servetis mihi vos meam puellam,
  Ne se conferat ad suos amicos,
  Quos omnes amat impotente amore,
  Nec mirum, quia mentulatiores.
  Quin et si cupitis probi videri,
  Tales passeribus salaciores,
  Longè a conjugibus movete vestris,
  Et tu si sapis, o puella nequam
  Istos desere pessimos amicos,

Et mecum maneas bona et pudica.
Nam juro tibi per tuam serapim
Tecum continuas jacere noctes
In multâ recubans futuitione.

## *Ad Perillam puellam.*

O solatiolum meum Perilla,
Dic quid Cinnama nostra rure fecit
Hos sex continuos dies? Valet ne?
Nam quidam mihi pessimus Cinaedus
Dixit, quod tenerum pedem catella,
Dum ludit nimium, procace morsu
Illi presserat, et domi manebat
Expectans medicos ab urbe missos.
Quare te rogo per tuos ocellos
Illos praevenias, probeque cures,
Ne qua se nimium licentiosos
Praestent, dum cupiunt boni videri
Nam bracis sine, pallio tumenti,
Manu vix retinent utrâque penes
Infestos pueris puellulisque.

## *In Antoninum Cinoedum.*

Antonine cinoedule
Huc ad nos redeas, namque per Herculem
Istas turpiculas nates
Si te prenderimus, jam usque adeo malis

Virgis exagitabimus,
Ut par sit sceleri supplicium tuo.
Audes tu media via
Me praesente meae comminitarier?
Audes tu niveas rosas
E nostrae gremio tollere Cinnamae?
Post haec tam malè, pallium
Nixus surripere, atque in teneris manus
Immiscere papillulis?
Quod si compulerit me furor improbus,
Disces postmodò quid siet,
Tam bellas manibus tangere foeminas.

## *Ad Antonium Panhormitam.*

Antoni decus elegantiarum
Atque idem pater omnium leporum,
Unus te rogat ex tuis amicis
Cras ad se venias, ferasque tecum
Quantuncunque potes facetiarum,
Et quicquid fuerit domi jocorum.
Nam risùs tibi tantùm apparavit,
Quantum Democrito diebus octo,
Profundi satis, et super fuisset.
Quòd tecum patulo cupit palato.
Perridere suapte risione,
Condita levitate, ineptiisque.

## *De improbitate puellae suae.*

Irata est quotiens mihi puella,
Tristis me vocat aridum poetam,
Et lassum minimà futuitione,
Indoctum Veneris, malique penis.
Post haec in triviis, in ore vulgi,
Inridentibus omnibus puellis,
Dicit tam malè me esse mentulatum,
Quàm vel pumilio, puerve trimus.
Quamobrem constitui meas qaerelas
Deferre ad Venerem, inque jus vocare:
Nam quis tam patiens amator esset?
Quod si sensero jus mihi negari,
Hellespontiacum Deum precabor
Partes suscipiat meas, velitque
Pro me, quod minimum facilimumque est,
Ulcisci facinus manu severâ.

## *Bophillus adulescens alloquitur Phiellam amicam.*

Si quisquam infernas cupiat praenoscere poenas,
Si quisquam Elyșii dona beata poli,
Hic faciles vultus, ille indignantia cernat
Lumina, in exitium nata Phiella meum.
Aurea pacato diffundis tempora vultu,
Aurea tranquillo pax et ob ore venit.

Dum loqueris, toto discedunt nubila coelo,
  Verna quies roseo est, vernus in orbe decor.
Candida felices sustollant lintea nautae,
  Quoque petant portus aura ministrat iter.
Magnetem et gelido surgenteis axe Triones,
  Quosque sequatur habet tuta carina Deos.
Quod si quem placidis facilis dignaris ocellis,
  Nectaris huic fontes, ambrosiaeque fluunt.
Illic delicias, illic ludosque jocosque,
  Mille voluptates, gaudia mille geris,
Fortunà potes invità fecisse beatum
  Quemque velis, miserum, quemque beasse velis.
Aspice divinas humano in corpore dotes.
  Nil mortale tibi; digna puella polo es.
Atque utinam invideant ne te coelestia nobis
  Et nova Phoebeo sydere flamma mices.
O bene, quòd veteres mutarunt numina mores.
  Vertit amatorem fabula nulla Jovem.
In te non Taurum, non ille subiret Olorem,
  Non Danaes rutilam solveret in pluviam.
Sed nitidus blando coetu comitatus amorum
  In thalamum veheret dia puella suum.
Et tua gemmali posuisset membra cubili,
  Illa Deûm requies, deliciumque Venus.
Hoc melius. Nunc ille jocos, nunc audit amantes,
  Et juvenum curis, quas tulit ipse favet.
Ille mihi de te spondet quaecunque rogarim;
  Teque meo pepigit candida nympha toro.

Tu quoque junge pios fido cum conjuge amores,
Ipse etenim et conjux, ipse et amator ero.
Qualis Chaoniae devinctus amore maritae,
Nescit amans volucris fallere jura suae.
Nec te tam formae capiat decor iste superbae,
Ut tua commorint taedia iniqua Deos.
Sic facilis quondam Daphne Peneia fuisset.
Non staret duris frondea limitibus,
Nec tam crudeli fato rapuisset amantem,
Sortis Anaxarete causa modusque suae.
Et mihi nescio quid blandis promittere ocellis,
Et mihi nescio quid dulce videre loqui.
Utque supercilio spondes, nutuque loquaci,
Non nihil ipsa meis mota venis, precibus.
Haec nomen capiat te virginitatis inane,
Nullis illa quidem est inclyta temporibus.
Illi virginitas, illi sua cura pudoris,
Si qua puella Deis casta facit superis.
Virginitas tua Cydippe, tua Menali diva.
Nos modò naturae dulce sequamur iter.
Atque utinam in priscos redeant nova saecula mores.
Aurea queis Latio regna fuisse canunt.
Cùm passim virides nullo custode per herbas
Ibat amatori juncta puella suo.
Non quem dura parens, non quem pater improbus illi,
Mutua sed placido junxerat ore Venus.
Atque ita composito jungebant foedere curas,
Una fides, unus lectus, et unus amor.

Tecum ego muscosis habitarem dives in antris,
  Atque idem lectus arbor et herba foret.
Arbor compositas jaceret recubantibus umbras.
  Praeberet mollem cespitis herba torum.
Et circum querulo stuperem virgulta canore,
  Et streperet querulà qui salit amnis aquâ.
Luderet et suavis demulcens ore querelas
  Attica frondosis ales in arboribus.
Sic mecum fixis haereres nixa lacertis
  Lascivis relegens oscula blanda jocis.
Mutua sic placido traheremus gaudia lusu,
  Et regum magnae despicerentur opes.
Haec ille, et saevus quaecunque coegerat ardor;
  Quaecunque et didicit verba disertus amans.
At nymphe varios immutans ore colores,
  Paulatim victas jam dabat ipsa manus,
Illius et fixis haerens pendebat ocellis.
  Uritur, et taciti signa furoris erant.
Et conata loqui, singultim pauca loquuta est,
  De que verecundo fugerat ore color.
Ac furtim laxis foribus progressa parabat
  Currere in amplexus care Bophille tuos.
Cùm mater saevis cumulans objurgia dictis
  A specula natam jussit abire suam.
Sic quos junxit amor, tristis custodia solvit.
  O nullo vacuum tempore quisquis amat.

## *De Quercu Diis sacrâ.*

Haec vetus, et multos Quercus servata per annos
Si fas est vati credere, numen habet.
Namque sub hac jacuit mixtus Naretide nympha
Pan, montanicolae captus amore Deae.
Menalon ille suum, dilecta que rura Lycaei,
Parrhasiaeque procul liquerat antra domûs.
Venerat huc virideis stringit qua Vigia ripas,
Et patrium riguo perluit amne solum.
Vidit eam liquidis dum se fovet inscia lymphis,
Et fessa aestivo membra calore levat.
Tum periit, saevae que animum fixere sagittae,
Ussit et Aetnaeus pectora adesa calor.
Ac subitò hirsuto demissa est fistula collo,
Et pastorali carmina voce sonat.
Nympha decus nemorum, sacro quae fonte lavaris,
Candida que in nitido flumine membra rigas,
Brachia sunt niveo tibi candidiora ligustro,
Collaque montanâ non minus alba nive,
Purpureoque genas suffundens dia rubore
Tingis puniceâ lilia cana rosâ.
Qui tibi sic lucent per quos ego perdor ocelli,
Nimirum eoi luminis instar habent.
Oscula si liceat teneris sumpisse labellis,
Vilis Hymetos erit, vilis et Hybla mihi.
O si quae vitreis referunt se membra sub undis
Contigerim, ó cupido membra fovenda sinu.

Nec tu sperne Deum, cui servit Nonacris ora,
  Cincta que montanis Itala terra jugis.
Pana Deum pecoris cuncti venerantur agrestes,
  Quique tenent alii rura nemusque Dei.
Ipse ego lac docui distento exubere Caprae
  Exprimere, et fuso cana colostra sero.
Per me etiam tenero sunt mixta coagula lacti,
  Inclususque suo caseus orbe fuit.
Quin etiam tenuis lanae felicia textu,
  Intonsà et docui carpere vellus Ove.
His mihi muneribus superata est luna beatis,
  Venit et in nostrum candida diva torum.
Aspice quàm pingues Agni, quàm laetus in agro
  Haedus, et in molli luxurietur humo.
Hi tibi munus erunt, longumque intacta per aevum
  Fistula, Nonacriis invidiosa Deis.
Pro qua quid non fecerunt Heliceque, Lyceque,
  Cylleneque aliis dura puella procis.
Hac tu cantabis laudes pecorisque tuasque.
  Hac mecum dulcis experiere modos.
Illa Deum fugiens humili sublapsa salicto
  Delitet, et surdà rejicit aure preces.
Quid faciat? Qua spe miserum soletur amorem,
  Infelix? Qua nam leniat arte malum?
Omnia tentanti frustra, viresque paranti,
  Obtulit optati casus amoris opem.
Quercus erat late patulis densissima ramis,
  Dives, et intacto vertice sacra comam.

Fama manet Faunos hic discubuisse madenteis
  Saepius, et laetos hic agitasse choros.
Inde loco metus, ac longos venerata per annos.
  Sylva manet. Medius praeterit antra liquor,
Antra racemiferis semper vestita corymbis.
  Semper sylvicolis antra petita Deis.
Huc Dea post aestus, venandi fessa labore
  Venerat, et molli lassa quierat humo.
Cui labor et strepitus rivi salientis, et umbra,
  Optatos somnos et levis aura facit.
Forte greges illuc, umbrâ ut viridante levaret,
  Ducit, et ipse cito Pan petit antra pede.
Ecce videt stratam cupidus per gramina nymphen
  Constitit, et tacitâ gaudia mente rapit.
Mox sensim summâque pedes suspendit in herbâ,
  Et presso nullus redditur ore sonus.
Ut tetigit niveae semota cubilia nymphae,
  Et timet, et faciles huc agit, hucque manus.
Subducit retegitque sinus, nudatque papillas.
  Hinc genua in molli lenta recurvat humo.
Blanditur femori digitis, collumque genasque
  Libat, et amplexu pectora nuda fovet.
Jungit et os ori, mox ad sua gaudia pergit,
  Et sperata diu re sibi vota capit.
Illa ubi se captam dulci resoluta quiete
  Sentit, ab opposita praelia veste movet.
Verùm ubi nec precibus, nec vi permovit amantem,
  Paulatim victa est, deposuitque metum.

Juvit opus, facilemque Deo Dea praebuit, inde
  Saepius ad gratum venit amica locum.
Hinc arbor sacrata Diis; quod mille tabellae
  Antraque votivo munere culta docent.

## *Frigore invitatur ad voluptatem.*

Bruma riget, caurique fremunt, stat densior aer,
  Juppiter et gelidas fundit ab axe nives.
Pocula nunc, lususque decent, pinguesque lucernae,
  Arida vos pueri subdite ligna foco.
Igne ferox lenitur hyems, ubi mollia circum
  Lesbia, et annosum spumat in orbe merum.
Vino pelluntur tristes de pectore curae,
  Hic liquor ingrato corda dolore levat.
Hic Deus afflictis requiem, spemque addit egenis,
  I puer, et largà prome Falerna manu.
Me juvat inter vina (fovet nam Bacchus amorem)
  Ebria consertis oscula ferre labris,
Molle femur tractasse manu, tractasse papillas,
  Dulciaque in tenero bella movere sinu.
Tum mihi sit non una satis; tum si tibi jurgar
  Fannia, quas dederim, quas tulerimque vices.
Tum si blanda meis venias retinenda lacertis,
  Quos tibi dem amplexus, Lantia, quosve dabis.
Te ne ego si teneam, quales mea Lautia motus
  Expediam, vel quot sim ferus ipse modis.
Molle Pharitaeo spirabit lectus odore,
  Quem dat Pellaeo condita terra duce.

Lintea sudabunt roseum perfusa liquorem,
Myrteolaeque fluet lucidus humor aquae.
Interea miscere puer ne desine Bacchum
Saepius, atque aliis demere vincla cadis.
Senio adest, rabidusque canis, venus aurea cuja est?
Arceli arbitrium te penes omne meri.
Ille novem cyathos musarum laetus honore
Ebibat hic Charites, tergeminumque chorum.
Ille suae potet dilectae basia nimphae,
Et laeto absentis nomen in ore sonet.
Lusibus his nam gaudet hyems, his laeta terenda est
Bruma; venit rapido mors inopina pede.

## *Carmen nuptiale, Tibicinem alloquitur.*

Hos numeros Tibicen ama, atque hos incipe cantus,
Et placidos festâ concine luce modos.
Primus Hymen trucibus mollivit corda puellis,
Atque animos facili contudit arte feros.
Primus inexpertos vinclo sociavit amores,
Legitimo statuens debita jura toro.
Et primus gratae decerpto flore juventae,
Primitias Veneris et sua dona tulit.
Hos numeros Tibicen ama, atque hos incipe cantus,
Et placidos festâ concine luce modos.
Hic docuit lentis innectere colla lacertis,
Atque renudato jungere membra sinu.
Hic rixas pacemque simul, nunc ore recluso,
Et nunc consertis oscula ferre labris.

Hic linguâ titubante loqui, dum spiritus udo
  Gutture, dum querulo ducitur ore sonus.
Hos numeros Tibicen ama, atque hos incipe cantus,
  Dum texunt virides laurea serta fores.
Hoc primùm virgo didicit bene culta magistro,
  Et femur et lateri conseruisse latus;
Atque inter questus leves, et murmura nota,
  Nunc has, nunc alias arte novare vices.
Dum gratus resilit membris tepor, imaque venis
  It Venus, et fesso corpore languet amor.
Hos numeros Tibicen ama, atque hos incipe cantus,
  Dum texunt virides laurea serta fores.
Quis fulgor, Deus, ecce Deus, nunc ore favete:
  Desine, et impariles tibia ferre modos.
Sanctus adest, coetusque suos invisere gaudet,
  Castaque conjugio nectere vincla parat.
Atque haec ut placitis firmet connubia votis,
  Talia divino sancit ab ore Deus.
Has ego felici jungo nunc omine dextras,
  Dic juvenis, dic tu bella puella, placet.
En placet, ore tuos juvenis nunc excipe amores,
  Oscula neu virgo prima dedisse neges.
Convenit: dedit hic, accepit et illa; pudicum
  Hoc est. Quid vultus scita puella rubes?
Atque oculis animum fas est, atque ore fateri,
  Gaudia neu tacito virgo reconde sinu.
Cetera nox, et nos, et amor, lectusque docebunt,
  Haec tu nunc fidei pignora certa cape.

Quàm bene, quod digitis aurum pellucet in istis,
  Annulus hic vobis quod scit uterque dabit.
Ite pares paribusque animis in vota juventae,
  Et sua concordi reddite jura toro.
Jungat amor quos junxit Hymen, taedaeque jugales.
  Quae juvenes, teneat haec quoque cura senes.

## *Ad Bacchum consecratio.*

Hos statuit tibi Bacche lacus cum conjuge vates,
  Accipe pacatus munera nostra pater.
Quod vatum pater es, prosit mihi, prosit et uxor,
  Quodque Ariadna tibi est, quodque Ariadna mihi est.
Huc tua te Antiniana vocat cultissima nymphe,
  Teque manet Cupido blanda puella sinu.
Te petit, exoptatque, tuos suspirat amores,
  Gestit et ad plenos ludere nuda lacus.
Qualis ubi primum florem, primosque Hymenaeos
  Victa dedit, cùm te per juga traxit amor.
Errabas miser in sylvis. Ridere Napaeae,
  Ridebant Dryades cornua Bacche tua.
Septem te videre hyemes per devia lustra
  Ferre nivem, et rapidos messe tulisse dies.
Illa Deum miserata quid o mitissime dixit
  Vim ne paras? Non haec praelia poscit amor.
Injecitque manum collo. Tibi lenis ab ore
  Aura venit. Tibi tunc oscula rapta sonant.
Exanimis cadis. Illa sinu mollissima blando
  Excipit, et tenerâ mulcet amica manu.

Tu ne Deus? Tu ne anguipedes victure gigantes?
  Tu ne jaces tenero Bacche fovende sinu?
Tu ne manu mulcende jaces? Sed splenduit aer,
  Praela novo radiant lumine, Bacchus adest,
Bacchus adest. Tumuere lacus, tumuere racemi,
  Nec capiunt fluidum labra minora merum.
Euge pater Lenæe Evan, pater Euchius Evan,
  Vina fluunt. Plenis condite musta cadis.
Ferte citi. Pater euge Evan. Pater Euchius Evan,
  Ferte citi. Jam jam dolia nulla vacant.
Euge pater. Ne plura pater. Pater Euchius evohe
  Siste pedem. Ad lusus Antiniana vocat.
Ostentatque sinu Venerem, ostentatque papillis,
  Illi amor inque oculis lusitat inque genis,
Perque oculos lascivit amor, perque ora genasque,
  Eque genis oculisque afflat, et ore Venus.
Jam pueri cohibete oculos, avertite vultus,
  Diva Deûm, divam dum Deus ipse fovet,
Dum ludunt ad praela. Pater mitissime salve,
  Annuus et rediens ad tua musta veni.

## *Ad Marinum Tomacellum.*

Nigris, Pieri, quae places ocellis,
Et cantum colis, et colis choreas
Nigris, Pieri, grata Dis capillis,
Formosae quibus invident Napeae,
Dum gratos prope Sirmionis amnes,
Et crinem lavis, et comam repectis,

Ne tu, Pieri, ne benigna desis,
Dum laetis salibus, sonante plectro,
Alterno pede balneas adimus.
Huc huc Hendecasyllabi frequentes,
Huc vos quicquid habetis et leporum,
Jocorum simul et facetiarum,
Huc deferte, minutuli, citique,
Quod vos en pretium, aut manet voluptas?
Inter lacteolas simul puellas,
Inter molliculos simul maritos,
Ludetis simul, atque prurietis,
Dum tractat tumidas puer papillas,
Contrectat tenerum femur puella,
Tractat delicias suas maritus,
Tentat delicium suum puella,
Et ludunt simul, et simul foventur
Lassi, languidulique, fessulique
Tunc vos Hendecasyllabi beati,
Quot, quot oscula? morsiunculasque?
Quot, quot enumerabitis duella?
Quot suspiria? murmura, et cachinnos?
Cùm furtim liceat sopore in ipso,
Contrectare papillulas, sinumque,
Occultam et femori admovere dextram.
Hos tu sed comites, Marine, vita,
Bajanis quotiens aquis lavaris,
Tuas ne Veneres libidinesque,
Et lusus referant salaciores,

Sis et fabula, quòd senex, salaxque,
Et thermas quoque balneas, et ipsas
Infames nimio supinus usu.
Hanc laudem potius tuo relinque
Compatri, chorus hunc puellarum
Incanum sequitur, colunt sed illae
Non annos vetuli senis, sed aurum.

## *Puellas adloquitur, admonens quid servare in balneis debeant.*

Quae dulces modò balneas petistis,
Et corpus calidis aquis fovetis
Ineptè facitis nimis puellae,
Ineptè nimium, parumque rectè,
Quòd solae, sine amantibus lavatis,
Quòd corpus sine amantibus fovetis.
Quare consilium senis probati,
Et rectum capite, et probum, bonumque.
Gaudet blanditiis Amor, jocisque,
Amplexus petit, osculis fovetur,
Res est mutua, mutuus Cupido,
Odit tristia, solitudinemque.
Quid solae, sine amantibus lavatis?
Quid corpus sine amantibus fovetis?
Curas pellite, solitudinemque,
Ite in gaudia, mutuos fovete
Amplexus, sine amante, mutuum nil.
Quare nec sine amantibus lavate,

Nec corpus sine amantibus fovete;
Intrastis calidas, vocate amantes,
Intrastis calidas, fovete amantes.
Sint haec mutua, sed nec ipsa muta,
Amplexus cupidi loquantur ipsi,
Injectaeque manus loquantur ipsae,
Et Deus blandulus, ebriique ocelli,
Sonent oscula, personent cachinni,
Vincant murmura Cyprias columbas.
Hanc legem statuit Venusque, Amorque,
Hanc legem sibi balneae edidere.
Nec solae, sine amantibus lavate,
Nec corpus sine amantibus fovete.

## *Ad Hermionem, ut papillas contegat.*

Praedico tege candidas papillas,
Nec quaeras rabiem ciere amantum.
Me quem frigida congelat senecta
Irritas malè, calfacisque. Quare
Praedico tege candidas papillas,
Et pectus strophio tegente vinci;
Nam quid lacteolos sinus, et ipsas
Prae te fers sine linteo papillas?
An vis dicere, basia papillas?
Et pectus nitidum suaviare?
Vis num dicere, tange, tange, tracta?
Te ne incedere nudulis papillis?
Nudo pectore, te ne deambulare?

Hos est dicere, posce, posce, trado,
Hoc est ad Venerem vocare amantes.
Quare aut contege candidas papillas,
Et pectus strophio decente vinci,
Aut, senex licèt, involabo in illas,
Ut possim juvenis tibi videri.
Tithonum Hermione tuae papillae —
Possunt ad juvenis vocare munus.

### *Ad Marinum Thomacellum, de lege balneorum virginibus dedicatorum.*

His virguncula thermulis lavetur,
Nullam quae Venerem integella sensit.
His se balneolis lavet puella,
Nullum quam tetigit viri cubile.
Hoc se fonticulo eluat sacerdos,
Nullae quam recreent amoris aurae.
Quòd si qua laticis sacri pudorem,
Et castum temerarit ausa fontem,
Iratae timeat Deae flagellum.
Haec lex est tabulae Deae dicatae,
Vis haec thermuleae dicationis.
Squallent hîc latices, Marine, sacri,
Et serpunt ederae Deae sacello,
Nullae his virgineis aquis lavantur,
Nec casta est quoniam nec integella,
Seu virguncula, seu puella, sive.
Custos romulei foci sacerdos.

## *Balneae loquuntur.*

Nostrum si titulum Puella nescis,
Hic est, praegravida recedet alvo,
Quae venit vacua: hoc habet tabella.
Quod verò officium tuum, meumque,
Quae partes, moneam: virum ipsa tecum
Adducas validum, joci peritum,
Cui telum viride, et virens juventa.
Nec tu defueris comes jocanti,
Aut ore, aut femore, aut manu, jocisve;
Namque et balnea mutuum requirunt.
Nunc ad me venio, meumque munus
Quod sit subjiciam: tibi senex vir
Si sit, nec validus, nec ore gratus,
Nec aptus thalamis, torive rebus,
Qui rursus juvenis, decens, valensque,
Jam sit, substituam, salaciorque
Verno passere, et albulis columbis,
Cui rubro caput horreat cucullo.
Haec vis est tabulae, vigorque fontis.
Quare, si sapies, Marine, cùm sis
Effaetus, fugies repente Bajas,
Vites balnea, myrteumque littus,
Elumbis, tremulus, macer, senexque,
Setosum Hectorea balneae requirunt.

## *Ad Actium Syncerum.*

Quid cantus Siculae juvant avenae?
Quid cantor Melisaeus? Aut amanti
Prosunt Partheniae tibi myricae?
Aut quid Capreoli? Decem ve mala?
Albo Capreoli liti colore,
Aureo mala, tibi quid, ò quid Acti
Prosunt? Aut gemitus tibi columbae?
Aut quid sibila murmurantis austri?
Quare ò Maenalium nemus relinque,
Atque istas Amaryllidas, Tevennae.
Cultrices gelidae, aridi et Tanagri,
Et Bajas cole, myteasque baias,
Hic fas est juveni, hìc licet puellae
Certatim teneros inire lusus,
Hìc et basia, morsiunculasque
Surreptim dare, mutuos fovere
Amplexus licet, et licet jocari
Impunè ad cyathos, choros, lucernas.
Bajanae hoc statuunt lavationes;
Hic seni liceat mihi duella,
Et rixas juvenum, et puellarum
Ad pacem lepidam, et jocum vocare,
Miscere et lacrymis jocos, jocisque
Rursum lacrymulas: queretnr Agnes
Demorsam sibi lingulam: licebit
Agneti tenerum proci labellum

Insignisse notâ, dolebit Aulus
Negatum sibi basium licebit
Triplex basiolum dedisse amicae.
Irata est quoties Lyco Lycella,
Possum compositas ligare leges,
Possum foederibus ligare amanteis,
Ut coenent pariter, laventur unâ,
Atque uno simul ut toro quiescant,
Conjuncto et simul ore suavientur,
Et somnos agitent quiete ut unâ.
Has et delitias, et hos lepores
Praestarint tibi balneae salubres,
Baiani dederint tibi recessus,
Ut dicas, Siculae valete avenae,
Umbroso valeat Tevenna monte,
Me me balneolae beent beatae.
Nam Baias homines colunt, Deique.

## *Ad Batillam de Amaraco colendâ.*

Et mollem cole Amaracon Batilla,
Et multo madidam fove liquore;
Et sparsas digitis comas repone,
Atque illas patulam reflecte in umbram,
Lusum, et delicias tuae fenestrae,
Et rarum cupidi senis levamen,
Dum te prospicit hortulos colentem,
Tondentemque comas, simulque ramos
In conum docili manu prementem,

Miratur digitos, stupetque ocellos;
Et totus miser haeret in papillis,
Frigensque aestuat, aestuansque friget,
Infelix simul, et simul beatus.
Felices sed Apes, nemus beatum
Quae circumvolitant, leguntque flores,
Et rorem simul, et tuos labores
In tectis relinunt, liquantque nectar.
O qui Mesopii liquoris auram,
Hyblae et quaeritis, et valere Hymetum,
Hyblam et dicite mel Batillianum,
Ipsi quaerite: sordet Hybla, sordet
Vertex Atticus, et liquor Panhormi,
Ite et quaerite mel Batillianum.

## *Ad Batillam.*

Cùm rides, mihi basium negasti,
Dum ploras mihi basium dedisti;
Una in tristitia libens benigna es,
Una in laetitia volens severa es;
Nata est de lacrymis mihi voluptas,
De risu dolor. O miselli amantes
Sperate simul omnia et timete.

## *Ad* ALPHONSUM *ducem Calabriae.*

Carae mollia Drusulae labella,
Cùm, Dux magne, tuis premis labellis,
Uno cùm geminas in ore linguas

Includis simul, et simul recludis,
Educisque animae beatus auram,
Quam flat Drusula pectore ex anhelo,
Cui cedunt Arabi, Syrique odores,
Et quas Idaliae Deae capilli
Spirant ambrosiae, cùm amantis ipsa
In molles thalamos parat venire.
Dic, Dux maxime, dic beate amator,
Non felix tibi, non beatus esse,
Non vel sorte frui Deùm videris?
Idem cùm tenero in sinu recumbis,
Componisque genas genis, manusque
Haeret altera collo, et altera illas
Quas partes pudor abdidit, retractas,
Mox post murmura, mutuosque quaestus,
Post suspiria, et osculationes,
Imis cum resolutus a medullis
Defluxit calor, et jacetis ambo
Lassi, languidulique, fessulique,
Ignorasque tuae ne Drusulae ne
Tuus pectore spiritus pererret,
Tuo an spiritus illius recurset
Uterque an simul erret hic et illic,
Dic, Dux maxime, dic beate amator,
Non sordent tibi regna? Sordet aurum?
Non unus tibi coelitùm videris?
Et cum lacteolo sinu quiescens
Fessus languidulum capis soporem,

Carpis dulciculum, beate, somnum,
Non fallor, tibi credo dormienti
Occurrit Charitum nitens figura,
Occurrit Veneris decora imago,
Miraris faciem, genas, capillum,
Dentes, oscula, lucidamque frontem,
Nigra et lumina, petulos ocellos,
Colla et candida, vesculas papillas.
At cúm te placidus sopor reliquit,
Reliquit Charitum nitens figura,
Reliquit Veneris decora imago,
Sola et Drusula lectulo remansit,
Quas somnus Veneremque Gratiasque,
Ostendit tibi, quas quies sopora
Non ne his Drusula par tibi videtur?
Unamque his tibi Drusulam referre?
Dic, Dux maxime, dic beate amator,
Non credis simul et Deas dolere?
Atque uni tibi et invidere Divos?

## *De Fanniae labellis.*

Si quaeris Venerem, Cupidinemque,
Dulcis Fanniolae labella quaeras.
Hîc sedem posuit suam Cupido,
Hîc laetas agitat Venus choreas.

### *Loquitur Puella fuscula.*

Quòd sim fuscula, quòd nigella, et ipsae
Fusco in pectore nigricent papillae,
Quid tum? Nox nigra, fusculae tenebrae,
Nocturnis colitur Venus tenebris,
Optat nox Venerem, Venus tenebras,
Et noctes Venerem tenebricosae
Delectant, pueri in sinu locata,
Lusus dum facit, improbasque rixas;
Ergo his in tenebris latebricosis,
His nos in latebris tenebricosis,
Lecto compositi, quiete in unà
Ductemus Venerem, toroque vincti,
Condamus tenebras, sopore ab ipso
Dum Solis Venus excitet sub ortum.

### *Mortem sibi imprecatur ob Zelotypiam.*

Quis haec, me miserum, labella suxit?
Quis has, me miserum, genas momordit?
Quis collo, ah miserum notas reliquit?
Quis, ah quis teneras sacer papillas
Tractavit digitis, manuque pressit?
Quis candentia gutture ex eburno
Accepit spolia, ore, dente, labris?
Quis foelix animum beatus? Udo
Quis de pectore rettulit salivam?
Quis o caetera? Sed quis, ah quis? Eheu

Me me jam miserum juvat perire.
Quis stricto pugione pectus haurit?
Hic hic est dolor ense finiendus.

## *De fulgentissimis Lucillae papillis.*

Cùm molles digitos, acumque miror,
Miror artifices manus, opusque,
Inter fasciolam, papillulasque,
Obliquis oculis repente vidi.
Quid vidi? Video? An videre credo?
Sed certe video, en videtis ipsi,
Pulcro è pectore, gemmeis papillis
Lucillae, radium refulxe Solis.
Nox est conscia, quae repente luxit,
Quaeque expalluit illico lucerna,
Ad quam tum digitos movebat ipsa.
Quod ni fasciolae, papillulisque
Admosset teneram manum repente,
Fulsisset roseus dies repente,
Fulsissent mediam diem tenebrae.
Fert Lucilla diem sinu corusco, et
Splendet pectore candidante Solem.

## *Ad Elisium Callutium.*

Blandis versibus, Elisi, jocamur,
Blandis concinimus sonis amores,
Et blandis animum modis levamus.
Mirum? Blandus amor, Cupido blandus,

Et blandus jocus est, leposque blandus,
Sunt blandae et Charites, Venusque blanda,
Blandis templa Deûm sonis adimus,
Et blandis precibus Jovem precamur,
Lux blandissima temporum magistra,
Vale saeve rigor, severitasque,
Vale durities Catoniana.
Nil, blandum nisi quaeritat voluptas,
Te te si mihi cara Faniella,
In molli sociam dabis cubili,
In nostro venies sinu fovenda,
Sic istaec tibi suxerim labella,
Sic istas tibi suxerim papillas,
Sic omnem tibi sanguinem resugam,
Ut matri redeas dolor querenti,
Ut quae te peperit, nec ipsa norit,
Sucto gutture, pressulis labellis,
Sucto pectore, sicculis ocellis;
Ac ne pallia sint molesta nobis,
Nudis corporibus cienda pugna,
Nudo pectore, nudulis papillis,
Nudo pectore, nudulisque coxis,
Et nudis pedibus, genuque nudo.
Ac si fert patulis furor fenestris,
Nulla ut vulnera in irritum petantur,
Ut nulli in vacuum ferantur ictus.

## *Ad Focillam.*

Si rides, Veneres, Focilla, rides,
Si cantas, Veneres, Focilla cantas,
Et saltans, Veneres, Focilla, saltas.
Demum sunt Veneres, Focilla, quicquid,
Ludisque, et loqueris, facisque, agisque,
At cùm nudula lectulo recumbis,
Inter delicias, libidinesque,
Tunc non es Veneres, Venus sed ipsa:
Venus, ne dubita, Focilla, tunc es.

## *Ad Franciscum Puccium.*

Quid fontes calidos, nemusque avernum
Pucci? Quid medicos petis recessus?
Bajanos habitant sinus Amores,
Bajarum Veneres colunt recessum
Bajanis Charites aquis foventur.
Adversis cupis an Deis valere?
Iratas tibi et excitare Bajas?
Quin, Pucci mi chare, chare musis
Cum primis Veneri, Cupidinique,
Hoc, sis, hoc age pro tuà salute.
Unam Sulpitiam precare, et uni
Rem sacram facias, roges et unam,
Stillet de roseis tibi labellis
Tres, ut ambrosiae benigna guttas,
Spiret de teneris tibi papillis

Afflatus totidem fragrantis aurae,
His risum adjiciat beniguiorem.
Sic a Sulpitià salus petenda est,
Uno quam liceat tamen parare,
Furtim basiolo repente rapto,
Demorsis labiis, et ore hiulco,
Spirantisque animae reflante flore.
Sic fient tibi balneae salubres,
Una in Sulpitià salutis est spes.

## *Ad Focillam.*

In somnis tenerum mihi labellum
Offers dum malè, suaviorque utrumque,
Decursim lacrymae tibi exciderunt,
Et largo faciem madore tinguis,
Atque has dum lacrymas madenti ab ore
Detergo simul, et simul relingo,
Surreptim mihi, mordicusque linguam
Exceptam rapis, operisque dente.
Mox risum lacrymis, jocosque miscens,
Haec nos ludicra, imaginesque noctis,
Has, inquis, simul in die vicissim
Et veras faciamus, et probemus.
His te in judicium voco, fidemque,
En linguam tibi, porge mi labella.

## *Ad Focillam.*

Ni reddis mihi vitreos ocellos,
Caecae praesidium meae senectae,
An est, cur ego non tuis papillis
Manus injiciam, trahamque prensas
Usque ad basiolum, supina quod des?
Quod des ipsa supina, quod supinà
Cervice excipias, quod ore hiulco,
Quodque ipse eripiam tibi supinus.
Atque illud moneo, supina vites,
Ne lapsis pedibus ruas repente,
Aut in scriniolo renisa restes.
Nam nec sat fuerit vocare matrem,
Furtum aut reddere, supplicemve flere,
Sed nudo (mihi crede) crure, coxa,
Nudo pectine, et usque ad umbilicum,
Senem perpetiere verpulentum;
Et clames volo, reddo, reddo, reddo,
Pro quo sic ego, subdo, subdo, subdo.

## *Ad Focillam.*

Promissum mihi suavium dedisti,
Quod mox dum repetis revendicatum
Clauso in scriniolo obserans locasti;
Nunc furto quereris subinde plorans,
Surreptum tibi, ne puella, ne fle,

Vel triplex tibi suavium rependam,
Unam si mihi lacrymam reponas.

## *Ad Focillam.*

Lascivos malè temperas ocellos,
Nec nostrae miseret tamen senectae;
Quantumvis juvenes ama, foveque,
Dum ne me fugias senem puella,
Atque hos, atque alios ames licebit,
Dum ne me abjicias puella amantem.
Nolo delicias, libidinesque,
Lascivos oculos volo, precorque.
Lascivos quoties reflectis in me,
Et rides simul, et doles, ocellos,
Inspiras juvenis mihi vigorem.
Quin omnem simul exuo senectam,
Si ter blanda Focilla suaviaris,
Si linguam tenero bis ore sugis,
Si collo quoque complicata pendes.

## *Petr. Summontius amator ad Neaeram.*

Stillant de roseis tibi labellis
Hyblaei simul, Atticique rores,
Spirant de niveis tibi papillis
Unà Coryti, Syrique odores,
Vernos et zepyhros, recentem et auram
Afflas, ambrosio Neaera ab ore;
Tecum ergo Syriam, Neaera, Hymettumque,

Ac defers Zephyri recentis auram.
Quin ipsas Charites, Neaera, et ipsam
Dum rides, Veneris refers figuram.
Istam sed remove, Neaera, dextram,
Ne me, ne digitis Neaera mulce,
Istis articulis, sinistrâ et istâ
Quicquid contigeris repente prurit,
Et quicquid digito (ah miser liquesco)
Et quodcumque manu Neaera tractas
Imis intima pruriunt medullis.
Pruritum digitis Neaera praefers,
Pruritum manibus Neaera misces,
Prurigo tua dextera est Neaera.

## *Invitantur pueri et puellae ad audiendas Charites.*

Ad myrtum juvenes venite, myrti
Laetae dum Charites canunt sub umbrà.
Ad myrtum tenerae simul puellae
Ludunt dum Charites, venite cultae.
Cantant dum Charites, chorosque ducunt,
Et sponsae et juvenes favete linguis.
Indicit choreas Venus; puellae
Immistae pueris agant choreas.
Indicit choreas Amor; juventus
Mixti virginibus choros frequentent.
Libertas sua balneis tributa est:

Custodes abeant, senes valento;
Adsint blanditiae, valete curae,
Et rugae valeant severiores,
Toto et littore perstrepant cachinni,
Ipsa et balnea molliter susurrent,
Et lusus teneri, et leves lepores.
Libertas jubet hoc, Venusque, Amorque.
Dum lux est, pueri, puellulaeque,
Exercete oculos simul procaces,
Exercete jocos benigniores,
Et suspiria grata blandiantur.
At dum nox silet, et tegunt tenebrae,
In molli thalamo movete rixas,
Amplexu in cupido ciete pugnas:
Nullus sit lateri modus, pudorve,
Certent oscula, morsiunculaeque.
Libertas jubet hoc, Venusque, Amorque.
Nunc vos, nunc tenerae simul puellae
Nobiscum juvenes simul venusti,
Dulces ad numeros pedes movete
Nobiscum lepidos choros inite.
Libertas jubet hoc, Venusque, Amorque.
Mane roscidulis nitescit hortis
Frondenti rosa ramulo, recentem
Afflans è foliis benigna odorem,
Atque hanc horridulo colonus ungui
Decerptam variae implicat coronae,
Vertitque in proprios odoris usus;

Manat roridulis fluens puellae
Labris Ambrosius liquor, fragratque
Stillans Idalium per ora nectar,
Ardor quo juvenum, sitisque amantum
Leuitur sociò simul cubili,
Jungunt dum cupidos sinus, et unà
Miscent humidulas per ora linguas,
Stillatque è roseis fluor labellis.
Hunc, hunc, o juvenes licentiores,
Hunc florem legite, hoc liquate nectar,
Vobis Ambrosii fluant liquores,
Vobis Assyrii fragrent odores,
Et suctis liquor effluat labellis.
Libertas jubet hoc, Venusque, Amorque.
Vos, o vos alios item liquores
Haurite, atque alios puellae odores,
Novas Ambrosias, novumque nectar,
Afflatusque animae fragrantiores.
Hos flores legite, has rosas liquate.
Vobis lectulus has rosas parabit,
Spirans Assyriam simul, Cyprumque,
Hos flores simul, et simul liquores
Afflabit thalamus, torusque cultus.
Hos ergo thalamos, torosque nuptae,
Et sponsae colite frequentiores,
Compressu, illecebris, sale, et cachinnis,
Lusu, et mollitie procaciore.
His rixas simul, et jocos seratis;

Libertas jubet hoc Venusque, Amorque.
Dens rixas moveat, procaxque dextra
Et lites ciat, et leves querelas.
Ast os et lepidos sales, et ipsae
Linguae suaviloquos strepant susurros.
Admotae tepido sinu papillae,
Pacem concilient, jocosque paci,
Et lusus similes, jocisque verba,
Amplexus similes et his, et illis.
Libertas jubet hoc, Venusque, Amorque.
Sed jam Sol rapidos movens calores
Nos oci admonuit meridiani.
Quocirca juvenes, nurusque comptae,
Post dulces numeros, choris peractis,
Ite hinc in thalamos meridiatum,
Ite in gaudia mutuosque lusus:
Nullus deliciis modus sit, ignem
Succensum Idaliâ fovete lymphâ,
Quo fessas sopor irriget medullas.
Hoc ipsa ocia nam meridiana,
Et mulcens simul imperat voluptas,
Hoc nati Veneris, Venusque mater.
Ite, atque unanimes fovete somnos.

## *De Bathyllâ.*

Lavit delicium meum Bathylla,
Laverunt Charites simul, Venusque;
Intrans balneolum, lavatque, et haeret,

Quae sit de numero, choroque quarta,
Quae nam sit Charis, extera, aut puella,
Unus cùm decor esset, una forma;
Dumque haeret dubitans, et hanc, et illam
Per risumque, jocumque suaviatur,
Spiravit roseo Bathyllae ab ore,
Fragrans Ambrosii liquoris aura,
Quae jam de Charitum comà suesset
Spirare, artifici manu reposta,
Stillatim et medico liquore tincta.
Tum ridens Cypris, extera o puella,
Vicisti Charites meas, ab arte
Quis spirat coma, cùm tibi è labellis
Stillent ambrosiae perennis aurae.

## *Ad Marinum Thomacellum.*

Et vino Venus, et viro puella,
Et ludos juvenis, senex quiete,
Et gratis animus jocis fovetur.
Quocirca cole balneas, Marine,
Hìc vina, hìc requies senem, jocusque
Effoetum foveant; manus procaces
Ludent in Venerem. Venus sed ipsa
Adsit rancidulo seni puella:
Postquam obdormieris, parem requirat,
Quicum lusitet, excitetque pugnam,
Et rixas agitet ferociores.
Nam tactu, et querulo Venus susurro,

Exercenda seni; senex papillas
Contrectet digitis, jocetur ore,
Voce et pruriat, et gemat senile;
Hoc tantum liceat. Juventa nervis,
Et tento valet, et valet duello.
Haec ergo juvenis movebit arma.
'Ast linguâ et digitis valet senectus,
Et linguâ et digitis senex tuendus,
Et linguâ, et digitis Venus fovenda.
Has te delicias movere oportet.
Et vina, et Venerem, et suam quietem
Instillent tibi balneae salubres,
Infundant tibi thermulae beatae;
His ludis animus senis levandus.

## *Ad Terinam.*

Tecum si liceat velim, Terina,
Me tussis licèt, et premat gravedo,
Tecum hac frigidulas fovere noctes,
O noctes mihi ter quater beatas,
O somnos sine fine prurientes.
Mecum sub tepido Terina lecto,
Mecum sub teneris fovebis ulnis,
Mecum roscidulis procax labellis,
Et suges simul, osculaberisque,
O noctes mihi ter quater beatas.
Ne tu, ne digitis, Terina, saevi,
Ne saevi aridulo, Terina, dente.

Ah quid pallia lectulo excidere?
Ah quid lectulus ipse subtremiscit?
Ne saevi, rogo, ne Terina, saevi.
Sic sic, ò mea saevias licebit,
Hac mecum ratione litigato.
Nunc vinci patiare, nunc repugna,
Et nunc oscula porge, nunc negato,
Nunc risum lacrymis, jocisque fletum
Misce, et dulcia verba tinge amaris.
Haec cùm feceris, ò Terina, mox te
Ad lusus placidos resolve mecum,
Complexa et teneris senem lacertis,
Ludas delicias venustiores,
Dicas blanditias procaciores,
Fingas nequitiam protervìorem,
Et ludos, age fac licentiores,
Et noctem quoque duc amantiorem,
Dum lassis sopor instet ex ocellis.

## *Ad Stellam.*

Non Alpes mihi te, aut vasti maris aequor, et ipsae
Eripiant Syrtes, nam mihi semper ades.
Mecum de summâ specularis littora puppe,
Et mecum longas isque redisque vias.
Mecum compositis haeres moritura lacertis,
Si pontus, si quid saeva minatur hyems.
Me quocumque loco, quidquid fortuna pararit,
Quidquid ago, mecum es, nec nisi semper ades.

Tu curis solamen ades, requiesque labori,
  Et quia semper ades, nil nisi dulce mihi est.
Quod si quando absis, et te jam Stella requiro,
  Sive dies, seu nox, sponte videnda venis.
Nam cùm Sol primos effert pulcerimus ortus,
  Aurorae in gremio tu mihi mane nites,
Illic purpureasque genas, roseumque labellum,
  Delicias video pectora et ipsa meas.
Oraque in ore Deae cerno tua; tu mihi rides,
  Sentio de risu gaudia mille tuo.
Ipsa mihi dicis jungo mea gaudia tecum,
  Dum loqueris jungo basia nostra tuis.
Inde ubi per medium rapitur Sol aureus orbem,
  Aurea te nobis Solis imago refert.
Illius in radiis video rutilare capillum,
  Et tua Phoeboeo splendet in igne coma.
Quacumque adspicio, lux, te mihi, tu mihi lucem,
  Offers, nec sine te luxve diesve mihi est.
Tandem ubi sydereis nox advenit acta quadrigis,
  Clarus et occiduo vesper in orbe nitet.
Ora refert tua nunc mihi candida lucidus hesper,
  In Veneris specto te recubare sinu.
Hìc risum, illecebrasque tuas, hìc oscula nosco,
  Lususque et gratis abdita signa notis.
Inque tuis oculis figo mea lumina, et usque
  Admoveo collo brachia lenta tuo.
Tum nova me, vetus ipsa tamen subit ante voluptas,
  Praeteritique memor mens favet ipsa sibi.

Mox sopor irrepit membris, sopor ultima praebet
Gaudia, teque meo collocat ipse sinu,
Amplectorque tuis innexus et ipse lacertis;
Sic nullum sine te tempus et horà mihi est.

## *Ad Stellam.*

Ad coenam me Stella vocas, et gaudia lecti,
Mensa mihi posita est, compositusque torus.
Ipsa ministrabis simul, et simul ipsa recumbes,
Et dabis in medio basia multa mero.
Coena placet, venio; ponam sed foedera lecti:
Me tua coena juvat, tu mea pacta proba.
Prima cuba, nec nuda tamen, tenuissima sed te
Tela tegat, Cyprio tela liquore madens.
Ipsè sequar, tu me amplexu placidissima blando
Excipe, et in tepido, qua potes, abde sinu.
Oscula mox junges, cupidas imitata columbas,
Oscula non uno continuata modo.
Muta Venus mihi nulla placet: suspiria misce,
Aptaquè lascivis garrula verba jocis.
Nec manus officio desit, manus aemula linguae est,
Haec tactu Venerem suscitat, illa sono.
Gaudia Amor probat haec, verùm si rixa sequatur,
Quam dens, quamve aliquid moverit ausa manus.
Auctor ero rixae, tu mox offensa quereris,
Unguibus et scindes pectora nostra tuis.
Scindam ego nunc tunicam, subductà et veste papillas,
Nuda eris et nullo tegmine bella geres.

Ipsa manum collo injicies, super ipsa recumbes,
Verbera et ipsa dabis, verbera et ipsa feres.
Dente petes, ego dente petam: demorsa dolebis,
Ipse sequar, lacrymae prona per ora cadent.
Tum supplex veniam gratà cum pace rogabo:
Ipsa dabis, simul et basia multa dabis.
Basia multa dabo, jungam quoque munera pacis,
Munera complexo ter repetita sinu.
Hoc est pacis opus, sunt haec sua foedera lecti:
Subscribas; per me nulla futura mora est.

## *Ad Stellam.*

Nudasti mea vita sinus, et sponte papillas,
Admostique meam pectora ad ipsa manum,
Oraque cum teneris junxisti nostra labellis,
Sedistique meo sarcina grata genu,
Cervicemque amplexa, levi mox victa sopore,
Concidis in nostrum languida facta sinum,
Longaque post fessos suspiria claudis ocellos,
Dum tibi sopitae serpit ad ossa quies.
Ipse tibi tenuem procuro sedulus auram,
Compositâ et moveo lenia flabra manu.
Ipse tibi somnos cantu levo, cautus amores
Sarnidis et Fauni dulcia furta refert.
Faune veni, tibi Sarnis adest ad flumina nota,
Ad nota salices candide Faune veni.
Eccè tibi niveum violae cum flore ligustrum
Jungo, et puniceis lilia cana rosis.

Roscida servantur legi tibi quae modò fraga,
  Fragaque quot, totidem basia et ipsa paro.
Huc ades, o formose, tibi nam nuper ad amnem,
  Siccavique meam, disposuique comam.
Pierides compsere caput, dum corpus et ipsae,
  Et crines flavos molliter amne lavant.
Inde comam Assyrio certatim unxere liquore,
  Inde Arabo nostrum spirat odore caput.
Quin cytharam docuere, et me fecere magistram,
  Et data pro magno munere eburna chelys,
Faune, veni, te Sarnis amat, suspirat et unum,
  Et parat in niveo gaudia multa sinu.
Fistula te, et calami vocitant, vocat aestus, et undae,
  Auraeque, et murmur subsilientis aquae.
His ego mulcebam somnos; tibi purpura mollis,
  Tingebat niveas flore decente genas.
Qualis ubi ad thalamos Hebe deducta mariti,
  Ad cupidi erubuit basia prima viri.
Oh quoties sparsos, errant dum fronte capillos
  Collegi, blandâ disposuique manu.
Sic Lede placitura fuit, sic uxor Orestis,
  Atque Helene dixi sic quoque culta fuit.
Et modò compositum rejeci in colla capillum,
  Et dixi, hac placuit Laodomia comâ.
O quoties teneras variavi flore papillas,
  Et dixi, Charites sic coluere sinum.
Ornabam gemmis digitos; ad Pelea quondam
  Vecta Thetis, niveam sic tulit ipsa manum.

Brachia nudavi, Aurorae sunt brachia dixi,
  Admovique cavae roscida poma manu.
Sic rear ad virides myrtus requiesse Dionem,
  Poma manu Paridis dum tenet illa sui.
Ipsa sinu Ambrosiam spirat, perque ora recursant
  Blanditiae, et grato mixtus honore decor.
At tibi, perque genas, roseisque infusa labellis
  Ludit, et in tenero gratia amica sinu.
Et quoties blandos somno recludis ocellos,
  Crediderim vel te posse movere Deos.
Quosque moves, verùm custodia nostra tuetur,
  Teque meo patior non abiisse sinu.
Tunc ego non suxisse quidem, libasse labellum,
  Sed tibi sopitae nil nocuisse velim.
Sic levis ad summum florem, de rore liquenti
  Libat, et è tenero gramine lingit Apis.
Oscula libabam, quae tu, velut excita somno
  Excipis, atque aliquid velle videre loqui.
Velle loqui, dum risu, simul dum basia carpo,
  Auraque de molli ducitur ore mihi.
Dum ludo improbius, tua duriter ora momordi,
  Hei mihi clamasti; sic jubet ipse dolor.
Hei mihi clamavi, parcas mitissima, dixi,
  Parcis, et insolito es blanda refusa sinu.
Colla notas, et labra notas; mox ulta dolorem
  Risisti, et gratos movit uterque jocos.

## *De Se, ac de Stellâ.*

Subrisit, blandosque manu compressit ocellos,
  Mox furtim infecit gutta iterata genas;
Scilicet amplexus repetit dum Stella beatos,
  Osculaque et dulci garrula verba sono.
Risit et argutos dextrà compressit ocellos,
  Delicias nosset nequa puella suas.
Mox ubi demòrsi succurrit triste labelli
  Vulnus, et insani plaga maligna joci,
Excivit lacrymas infelix ira coactas,
  Et de me visa est non bona verba loqui.
Di fáciles quid amara bonis, quid tristia lactis
  Miscetis, curas ingeritisque novas?
O desint lusus, dum desit cura puellis,
  Dum lacrymae desint, ipse tepescat amor.
Hos ne oculos lacrymare, genisne inducere guttas,
  Parcite Di, nil vos tam nova forma movet?
Sed lacrymare licet, lacrymis formosior ipsa es:
  Jam fluitent lacrymae, nunc mihi, cara, places.
Fac lacrymas, fac ipsa genis manare fluentum,
  Nostra se ut hoc ipso temperet amne sitis.
Amne sitim sedare licet, licet oscula furtim
  Surripere, et lacrymis inseruisse jocos.
Di faciles, miscere juvet nunc tristia laetis,
  Oscula cum lacrymis, cum lacrymisque jocos.
Dic mihi blanditias, dic suspirantia verba;
  Quid latet in tepido bella papilla sinu?

Da pectus tractare tuum, niveasque papillas,
O in delicias pectora nata meas.
Nunc liceat saevire, atque insanire, volenti
Aspera, nolenti mollis, et aequa veni.
Nolentem cupidis vesana incinge lacertis;
Oscula nolenti, dum vetat, ipsa rape.
Nunc cupio, nunc ipse velim; tu dura recusa,
Et mea vesanis unguibus ora pete.
Dic tenerum, dic dulce aliquid, quid vertis ocellos?
Teque meo lacrymans subtrahis usque sinu?
Pone iram et lacrymas; sed te lacrymare decorum est,
Tu face, ut hae lacrymae nostra per ora cadant.
Tu face, ut has lacrymas siccem, face ut oscula carpam,
Inque meos oculos candida fige tuos.
Fixisti simul, et rides, nunc oscula junge,
Oscula compositae pignora pacis eant.
Oscula complexu gaudent, pax gaudet utrisque,
Pace Amor exultat, pace et amore Venus.
Tu pacem, mea vita, colas, recolamus amorem,
Sic erit ex aequo mutua nostra Venus.

## *Ad Stellam.*

Cùm tenerum, cùm dulce aliquid, blandumque jocaris,
Ah medio mihi tum corde liquescit amor.
Spem mihi quum et cupidis pacem promittis ocellis,
Lux oculis, toto corpore sensus abit.
Quum rides, ignemque oculis, vultuque fateris,
Mens animum, ipse animus pectora destituit.

Amplexu jam Stella tuo sucurre cadenti,
Ore animum et foveas, oreque redde animam.

## *Ad Stellam.*

Libat Apis de rore favos, mellisque liquorem,
Inde hominum mulsum, nectar et inde Deûm.
De labris, mea Stella, tuis mihi mella liquescunt:
Hic ros mella mihi stillat et iste favus,
Condit et his Venus Ambrosiam, mihi parcite Divae,
Sola Venus verâ deffluit Ambrosiá.

## *Ad Stellam deprecatio.*

Me misero, ne, Stella, seni blandire, quid ignem
Exagitas? Facibus ne precor adde faces.
Vis misero, vis ipsa seni indulgere, remitte
Blanditias, oculos et mihi dura nega.
Verba nega, vultumque nega, mihi dira precare;
Ipse precor veniant omnia dira mihi.
Peccatum est, mors poena mihi, aut miserabile fatum,
Nam veniae misero quis locus esse potest?
Sit pietas periisse reum: fecisse beatum
Ipsa cupis, miserum redde, beatus erit.
Supplicium infelix a te pro munere posco,
Supplicium meritis grata repende meis.
An potui immorsis dentem fixisse labellis?
An potui lacrymas dente ciere tuas?
Spectavi flueret crudo dum vulnere sanguis,
Admovi jugulo tela nec ipse meo.

Spectavi exanimem, viso dum lapsa cruore
  Concideres ? Viso namque cruore cadis.
Nec cecidi super ipse miser, nec vulnera lavi;
  Hic error dirâ caede piandus erat.
Forsitan aut lacrymas siccavi, aut denique dixi
  Ut misero parcas, o mea parce tibi.
Quid tibi dens, quid amare precer, quum ludere possis
  Laedere qui malis, vimque in amore sequi?
Imprecor ut qui regnat Amor, nova ponat amandi
  Jura, ferat leges et Deus ipse novas.
Nullaque sint concessa viro, concessa puellis
  Oscula, contineat basia, quisquis amat.
I saevi dens saeve, i dure, et consere demens
  Praelia, nequitiae jam tibi finis adest.
Tu verò mea lux (etenim tibi mollia corda)
  Parce, sed (ut fas est) utere jure tuo.
Suge nota, fige impresso mala vulnera dente,
  Cavit amor, capias oscula mille licet.
Id tantùm formosa vide, vesana caveto,
  (Quàm vereor, noceat ne dolor ipse tibi).
Dum saevis, dum dente furis, dum vulnera figis,
  Livor et insanas linquit in ore notas.
Ne linguam nostris committas fortè labellis,
  Ne temere id, quod te laedere possit, agas.
Nulla fides legi, valeat reverentia legum,
  Culpa tua est, partes dens aget ipse suas.
Nec sat erit suxisse genas, strinxisse labellum,
  Tuta nec in clauso lingua erit ore tibi.

Jam meditor, tunc colla manu, tunc unguibus ora,
Et mea tunc ferro pectora iniqua petes.
Ipse tuos miser ante pedes, commissa fatebor,
Et dicam in tua nunc injice jura manus.
Sed non injicies, et me complexa fovebis,
Et tua miscebis basia multa meis.
Hinc sopor inrepet lassis, resolutaque membra
Composito ducent ocia grata toro.

## *Ad Dejañillam.*

Basia quum strictis offers mihi clausa labellis,
Deque tuo nullus spiritus ore venit,
Nescio quid tum triste animum subit, ipsaque nostro
Frigescunt tacito basia in ore situ;
At quum rapta sonant mordacibus oscula labris,
Mixtus et alterno spiritus ore coit,
Meque color, meque et sensus, animusque relinquunt,
Inque tuo jaceo languidus ipse sinu.
At tu quum dederis mihi suavia, consere linguam
Inter labra, meo semper et ore fove.
Ne pateant animo egressus, ne frigida lingua
Torpeat, ipse tuo deficiamque sinu.

## *Ad Ambrosiam.*

Sparsisti ambrosia Ambrosiam per labra, meisque
Suxisti è labris Ambrosia ambrosiam.
Suavia tunc etenim sunt suavia, mutua quum sunt,
Et dant, et capiunt mutua qui faciunt.

Ambrosiam diffunde, dedi quum basia, suge,
Quum capis alternis Ambrosia Ambrosiam.
Suavia sic et erunt tibi basia nostra, mihique,
Et tua et Ambrosia stillet uterque sua.

## *De Thelesina et Puderico.*

Ecce venit Thelesina. Venus comitatur, Amorque,
Parce puer pharetrae, tu Dea parce faci.
Ipsa feri, Thelesina, oculis: vos parcite telis.
Ipsa oculis jacias tela, facesque tuis.
En et adest Pudericus: Amor ne stringe sagittas,
Conde Venus faculas, tu Thelesina feri.
Prima quidem sint tela oculi, quîs corda sagittes,
Et dicas, Amor haec tela cruenta jacit.
Altera tela faces, risus sit Cypridis arma,
Risus amatoris vincula certa tui.
Haec ubi, dic Veneri, dicas Thelesina et Amori,
Hic meus est, telo concidit iste meo.
Arte meâ curandus et est: mox pallia dextrâ
Rejice, et ornatos candida pande sinus.
Ac rursum formosa oculis, risuque ferito,
Qualis Achilleâ plaga iterata manu.
Namque et Amor geminata facit dum vulnera, sanat.
Ut sanes, iterum bella puella feri.
Ne qua tamen veteris plagae sit fortè cicatrix,
Hanc line mox linguae blanda liquore tuae.
Oscula neu cessent etiam geminata, superbit,
Quae dare quum possit plurima, pauca negat.

## *Julio Forti Siculo.*

Juli pars animae secunda nostrae,
Quid non me pateris meas Camoenas
Omnes proijcere ignibus cremandas?
Quarum depereunt graves labores.
Et perdo miseras subinde cartas.
Nam quamvis veterum diesque noctesque
Evolvam monimenta Juliorum
Attritique adeo mei libelli,
Ut nil a solea deesse credas,
Semper nostra tamen Thaleïa friget,
Cujus nequitias, ineptiasque
Nolis laedere, vel putare nullas.
Nec me sordidulum voces poëtam,
Si non posthabito facetiarum
Lusu, carminibus vacem severis.
Nam cùm desierint graves Catones,
Et sint tempora Busuluniana,
Aequum quis putet esse laude sacrâ
Scelestos celebrare Tarracones?

# DE JOANNE SECUNDO HAGIENSE.

Joannes *Secundus Hagiensis* Batavus, jurisconsultus, orator, et poeta clarissimus, fingendi quoque ne sculpendi laudatissimus artifex, lucem adspexit die XIV. Novembris M. D. XI. patre *Nicolao Everardo* jurisconsulto, matre verò *Elisia Bladella.* Primùm in Hispaniis *Joanni Taverae* Toletano Cardinali, deinde in patria illustri *Georgio* ab *Egmonda,* Trajectensi Praesuli et hujus loci Primati, ab epistolis et secretis fuit. Postremò a Carolo V. imp. aug. accersitus, ut idem apud se munus obiret, immaturâ nimium morte raptus est VIII. Kal. Octobris Ann. M. D. XXXVI (1).

De hoc lepidissimo scriptore haec habet *Lilius Gregorius Gyraldus* Ferrariensis in Dialogo II. de poetis suorum temporum, operum editionis Lugduni Batavorum apud *Hackium* M. DC. XCVI. Fol. tomo II. pag. 561, littera F. « Tunc omnes simul, *rectè tu*

(1) Plura de eo legas apud *Niceronium : Mémoires pour servir à l'histoire des Hommes illustres. Paris, chez Briasson,* M. DCC. XXXI. *in*-12. tomo XVI. pag. 237. seqq.

» *quidem dixere Andrea, sed et tu de illis proinde* » *sequere de Poetis.* Tunc *Andreas*, fuit, inquit, et » Jo. *Secundus Hagiensis* cujus extant *Basia*, quae » ab omnibus ita leguntur, ut basiis affici videantur, » in quae basia *Alciatus* eleganter carmine lusit. » Scripsit praeterea elegiarum libros III. Funerum » unum, Epigrammata, Epistolas, Odas, Silvas; » audio et hunc scripsisse alia nonnulla quae eâ ra- » tione non sunt edita, quod in principes quosdam » acerbius dicta viderentur. Habuit hic et alios duos » fratres, qui non sunt a musis alieni, juris scientiâ » insignes quamvis et Caesaris negotia apud Belgas » agant. Periit *Johannes* in suae aetatis flore, vi- » gesimumquintum enim annum non excessitum; de » quo si plura quaeritis, legitote epicedium quod in » ejus funere, *Adrianus Marius* ejus frater compo- » suit. Leguntur et ejus alia pleraque, inter quae et » epitaphium illud *Thomae Mori*:

» Quis jacet hic? Truncus cujus caput ense recisum est.
» Quae natat in tetro sanguine? Canicies.
» Hic ille est Thomas Morus: sic fata rependit
» Tristia multa bonis, et bona multa malis.
» Quae circumsistunt Divae lugubre cadaver?
» Diva tenax veri, sancta fides, Nemesis.
» Quarum prima fuit causa, et fuit altera mortis,
» Ultrix injustae tertia caedis erit ».

Denique juvat adferre epistolam nuncupatoriam praemissam memorato operi, cui titulus:

*Joannis Secundi Hagiensis Basia et alia quaedam.* Lugduni apud Seb. Gryphium M. D. XXXIX. in 4. pag. 61.

*Michael Naerius L. Annibali Crucejo S.*

» Sublato è vivis *Jo. Secundo Hagiense*, quo cum mihi » non vulgaris intercessit necessitudo, putavi mihi » pro meâ singulari erga illum observantiâ convenire, » ut quem viventem summopere amabam, ejus de» functi memoriam, quibus possem officiis, posteri» tati commendarem. Itaque cùm ludicra quaedam » illius carmina quorum ipse vivens mihi copiam fe» cerat, apud me paulo ante reperissem, visus sum » huic meo muneri splendidè satisfacere posse, si ea » publicè legenda traderem, cùm ejusmodi sint, ut » praeter argumenti festivitatem, dictionis candore » et elegantiâ, possint mirificè delectare. Tibi vero » ea praecipue dicare libuit, quod te poetices studio» sissimum scio, et, ut meae in te observantiae » μνημόσυνον aliquod jam tandem exhiberem, quo ea » testatior in dies apud posteros fieret. Erit igitur tui » candoris haec Secundi Basia libenter accipere nam » ut in Amarillide Theocritus, Ἔςι καὶ ἐν κενεοῖσι » φιλάμασιν ἁδέα τέρψις et hanc animi erga te mei » declarationem perexiguam illam quidem, sed mi» nimè fucatam, aequi bonique consulere. Vale, et » me, quod facis, ama. Ruri XIII. Calen. Maias » M. D. XXXVIII ».

# JOANNIS SECUNDI HAGIENSIS

# BASIA.

## *Basium* I.

Quum Venus Ascanium super alta Cythera tulisset,
  Sopitum teneris imposuit violis;
Albarum nimbos circumfuditque rosarum,
  Et totum liquido sparsit odore locum.
Mox veteres animo revocabat Adonidis igneis,
  Notus et inrepsit ima per ossa calor.
O, quoties voluit circumdare colla nepotis?
  O, quoties, dixit, talis Adonis erat.
Sed placidam pueri metuens turbare quietem:
  Fixit vicinis basia mille rosis.
Ecce calent illae, cupidaeque per ora Diones
  Aura, susurranti flamine, lenta subit.
Quotque rosas tetigit, tot basia nata repente
  Gaudia reddebant multiplicata Deae.
At Cytherea natans niveis per nubila Cycnis
  Totius terrae coepit obire globum.
Triptolemique modo, foecundas oscula glebis
  Sparsit, et ignotos ter dedit ore sonos.
Inde seges felix nata est mortalibus aegris,
  Inde medela meis unica nata malis.

Salvete aeternùm miserae moderamina flammae,
Humida de gelidis basia nata rosis.
En ego sum, vestri quo vate canentur honores,
Nota Medusaei dum juga montis erunt.
Et memor Aeneadum, stripisque disertus amatae,
Mollia Romulidûm verba loquetur Amor.

## *Basium* II.

Vicina quantùm vitis lascivit in ulmo,
Et tortiles per ilicem
Brachia proceram stringunt immensa Corymbi,
Tantùm Neaera si queas
In mea nexilibus proserpere colla lacertis,
Tali Neaera si queam
Candida perpetuum nexu tua colla ligare,
Jungens perenne basium.
Tunc me nec Cereris, nec amici cura Lyaei,
Soporis aut amabilis,
Vita, tuo de purpureo divelleret ore;
Sed mutuis in osculis
Defunctos, ratis una duos portaret amanteis,
Ad pallidam Ditis domum.
Mox per odoratos campos et perpetuum ver
Produceremur in loca
Semper ubi, antiquis in amoribus, Heroinae
Heroas inter nobiles
Aut ducunt choreas, alternave carmina laetae
In valle cantant myrtea.

Qua violisque rosisque et flavicomis narcissis
  Umbraculis trementibus,
Illudit lauri nemus, et crepitante susurro
  Tepidi suavè sibilantes
Aeternùm Zephyri; nec vomere saucia tellus
  Foecunda solvit ubera.
Turba beatorum nobis adsurgeret omnis,
  Inque herbidis sedilibus,
Inter Maeonidas primâ nos sede locarent;
  Nec ulla amatricum Jovis
Praerepto cedens indignaretur honore,
  Nec nata Tyndaris Jove.

## *Basium* III.

Da mihi suaviolum, dicebam, blanda puella,
  Libasti labris mox mea labra tuis.
Inde, velut presso qui territus Angue resultat,
  Ora repente meo vellis ab ore procul.
Non hoc suaviolum est dare, lux mea; sed dare tantùm
  Est desiderium flebile suavioli.

## *Basium* IV.

Non dat basia, dat Neaera nectar:
  Dat rores animae suaveolentes;
Dat nardumque, thymumque, cinnamumque,
  Et mel, quale jugis legunt Himetti,
Aut in Cecropiis Apes rosetis
  Atque hinc virgineis et inde ceris

Septum vimineo tegunt in antro.
  Quae si multa mihi voranda dentur,
Immortalis in iis repente fiam,
  Magnorumque epulis fruar Deorum.
Sed tu munere parce, parce tali:
  Aut mecum Dea fac Neaera fias;
Non mensas sine te volo Deorum:
  Non, si me rutilis praeesse regnis
  Excluso Jove, Dii Deaeque cogant.

## *Basium* V.

Dum me mollibus hinc et hinc lacertis
  Adstrictum premis, imminensque toto
  Collo, pectore, lubricoque vultu,
  Dependes humeris Neaera nostris;
  Componensque meis labella labris,
  Et morsu petis, et gemis remorsa,
  Et linguam tremulam hinc et inde sugis,
  Adspirans animae fragrantis auram
  Mollem, dulcisonam, humidam, meaeque
  Altricem miserae, Neaera, vitae;
  Hauriens animam meam caducam,
  Flagrantem, nimio vapore coctam,
  Coctam pectoris impotentis aestu:
  Eludisque meas Neaera flammas,
  Flabro pectoris haurientis aestum,
  Infestum penitus meis medullis:
  O jucunda mei caloris aura,

Jam dico, Deus est Amor Deorum,
Et nullus Deus est Amore major.
Sed si quae Dea, si Deus quis usquam est,
Tu Neaera Dea es Amore major.

## *Basium* VI.

De meliore nota bis basia mille paciscens
Basia mille dedi, basia mille tuli.
Explesti numerum, fateor, jucunda Neaera,
Expleri numero sed nequit ullus amor.
Quis laudet Cererem numeratis surgere spicis?
Gramen in irrigua quis numeravit humo?
Quis tibi, Bacche, tulit pro centum vota racemis?
Agricolamve Deum mille poposcit apes?
Quum pius irrorat sitientes Juppiter agros,
Deciduae guttas non numeramus aquae.
Sic quoque quum Borea nimbosus inhorruit aer,
Sumpsit et iratâ Juppiter arma manu,
Grandine confusâ terras, et caerula pulsat,
Nescius invertat quot sata, quotve locis.
Seu bona, seu mala sint, veniunt uberrima coelo,
Majestas domui convenit illa Jovis.
Tu quoque, quum Dea sis Divâ formosior illâ,
Concha per aequoreum quam vaga ducit iter,
Basia cur numero, coelestia dona, coarctas?
Nec numeras gemitus, dura puella, meos?
Nec lacrymas numeras? Quae perfaciemque, sinumque
Duxerunt rivos semper euntis aquae?

Haec numera, vel et illa nega numerare, referque
Innumera innumeris basia pro lacrymis.

## *Basium* VII.

Quis te furor Neaera
Inepta, quis jubebat
Sic involare nostram
Sic vellicare linguam
Feróciente morsu?
An quas tot unus abs te
Pectus per omne gesto
Penetrabiles sagittas
Parum videntur, istis?
Ni dentibus protervis
Exerceas nefandum
Membrum nefas in illud
Quo saepe sole primo,
Quo saepe sole sero,
Quo per diesque totos,
Noctesque amarulentas,
Laudes tuas canebam?
Haec est Neaera (nescis?)
Haec illa lingua nostra est,
Quae tortiles capillos,
Quae petulcos ocellos,
Quae colla mollicella,
Quae lacteas papillas
Venustulae Neaerae,

Molli per astra versu
Ultra Jovis calores,
Coelo invidente, vexit;
Quae te meam salutem,
Quae te meum levamen,
Animaeque meae florem,
Et te meos lepores,
Et te meam Dionem,
Et te meam Columbam
Albamque Turturillam
Venere invidente, dixit.
An verò est, an est hoc ipsum,
Quod te juvat, superba?
Inferre vulnus illi,
Quem laesione nullà,
Formosa, posse nosti
Irâ tumere tantâ?
Quin semper hos ocellos
Quin semper haec lābella,
Et, qui sibi salaces
Malum dedere, dentes
Inter suos cruores
Balbutiens recantet,
O vis superba formae!

## *Basium* VIII.

Centum basia centies
Centum basia millies,

Mille et basia centies,
Et tot millia millies
Quot guttae Siculo mari.
  Quot sunt sidera coelo,
Istis purpureis genis,
Istis turgidulis labris;
Ocellisque loquaculis
Darem continuo impetu,
  O formosa Neaera.
Sed dum totus inhaereo
Conchatim roseis genis,
Conchatim rutilis labris,
Ocellisque loquaculis,
Non datur tua cernere
Labra, non roseas genas,
Ocellosque loquaculos,
  Molles nec mihi risus:
Qui, velut nigra discutit
Coelo nubila Cyntius,
Pacatumque per aethera
Gemmatis in equis micat,
  Flavo lucidus orbe.
Sic nutu eminus aureo,
Et meis lachrymas genis,
Et curas animo meo,
  Et suspiria pellunt.
Heu quàm sunt oculis meis
Nata praelia cum labris!

Ergo ego mihi vel Jovem
Rivalem potero pati?
Rivales oculi mei
Non ferunt mea labra.

## *Basium* IX.

Non semper udum da mihi basium,
Nec juncta blandis sibila risibus:
Nec semper in meum recumbe
Implicitum moribunda collum.
Mensura rebus est sua dulcibus;
Ut quodque mentes suavius afficit,
Fastidium sic triste secum
Limite proximiore ducit.
Quum te rogabo ter tria basia,
Tu deme septem, nec nisi da duo,
Utrumque nec longum nec udum,
Qualia teligero Diana
Dat casta fratri: qualia dat patri
Experta nullos nata Cupidines.
Mox è meis lasciva ocellis
Curre procul pede mollicello.
Et te remotis in penetralibus,
Et te latebris abde sub intimis.
Sequar latebras usque in imas,
In penetrale sequar repostum.
Praedamque victor fervidus in meam
Utrinque heriles injiciens manus

Raptabo, ut imbellem Columbam
Unguibus Accipiter protervis.
Inde crepantes victa feres manus,
Haerensque totis pendula brachiis
Placare me septem jocosis
Basiolis cupies inepta.
Errabis: illud crimen ut eluam,
Septena jungam basia septies;
Atque hoc catenatis lacertis
Impediam, fugitiva, collum:
Dum persolutis omnibus osculis,
Jurabis omnes per veneres tuas
Te saepius poenas easdem
Crimine velle pari subire.

## *Basium X.*

Non sunt certa, meam moveant quae basia mentem,
Uda labris udis conseris; uda juvant.
Nec sua basiolis non est quoque gratia siccis,
Fluxit ab his tepidus saepe sub ossa calor.
Dulce quoque est oculis nutantibus oscula ferre,
Autoresque sui demeruisse mali.
Sive genis totis, totive incumbere collo,
Seu niveis humeris, sive sinu in niveo,
Et totas livore genas, collumque notare,
Candidulosque humeros, candidulumque sinum:
Seu labris tremulis titubantem sugere linguam,
Et miscere duas juncta per ora animas,

Inque peregrinum diffundere corpus utramque,
Languet in extremo quum moribundus amor;
Me breve, me longum rapiet, laxumque, tenaxque,
Seu mihi das, seu do, lux, tibi basiolum.
Qualia sed sumes nunquam mihi talia redde;
Diversis variùm ludat uterque modis.
At quem deficiet varianda figura priorem,
Legem submissis audiat hanc oculis;
Ut, quot utrinque prius data sint, tot basia solus
Dulcia victori det, totidemque modis.

## *Basium*. XI.

Basia lauta nimis quidam me jungere dicunt,
Qualia rugosi non didicere patres.
Ergo, ego quum cupidis stringo tua colla lacertis,
Lux mea, basiolis immoriorque tuis:
Sollicitus repetam quid de me quisque loquatur?
Ipse quis, aut ubi sim, vix meminisse juvat.
Audiit, et risit formosa Neaera, meumque
Hinc collum niveà cinxit et inde manu.
Basiolumque dedit, quo non lascivius unquam
Inseruit Marti Cypria blando suo.
Et quid, ait, metuis turbae decreta severae?
Caussa meo tantùm competit ista foro.

## *Basium* XII.

Quid vultus removetis hinc pudicos
Matronaeque, puellulaeque castae?

Nulla hic furta Deûm jocosa canto,
Monstrosasve libidinum figuras,
Nulla hic carmina mentulata: nulla,
Quae non discipulos ad integellos
Hirsutus legat in scholis magister.
Inermes cano basiationes,
Castus Aonii chori sacerdos.
Sed vultus adhibent modò protervos
Matronaeque puellulaeque castae,
Ignarae quia forte mentulatum
Verbum diximus, evolante voce.
Ite hinc, ite procul molesta turba,
Matronaeque puellulaeque turpes:
Quanto castior est Neaera nostra,
Quae certe sine mentulà libellum
Mavult, quàm sine mentulà poetam?

## *Basium* XIII.

Languidus è dulci certamine, vita, jacebam
  Exanimis, fusà per tua colla manu.
Omnis in arenti consumptus spiritus ore
  Flamine non poterat cor recreare novo.
Jam Styx ante oculos, et regna carentia Sole,
  Luridaque annosi Cymba Charontis erat:
Quum tu suaviolum educens pulmonis ab imo
  Adflasti siccis irriguum labiis;
Suaviolum, Stygià quod me de valle reduxit,
  Et jussit vacuâ currere nave senem.

Erravi, vacuâ non remigat ille carinâ,
  Flebilis ad manes jam natat umbra mea.
Pars animae, mea vita, tuo hoc in corpore vivit,
  Et dilapsuros sustinet articulos.
Quae tamen impatiens in pristina jura reverti
  Usque per arcanas nititur aegra vias.
Jamque nisi per te notà foveatur ab aurâ
  Conlabescentes deseret articulos.
Ergo age, labra meis innecte tenacia labris,
  Adsiduèque duos spiritus unus alat;
Donec, inexpleti post taedia sera furoris,
  Unica de gemino corpore vita fluet.

## *Basium* XIV.

Quid profers mihi flammeum labellum?
  Non te nunc volo basiare, dura
  Duro marmore durior Neaera.
  Tanti istas ego ùt osculationes
  Imbelles faciam, superba, vestras,
  Ut, nervo totiens rigens supino
  Pertundam tunicas meas, tuasque,
  Et desiderio furens inani,
  Tabescam miser, aestuante venâ?
  Quò fugis? Remane: nec hos ocellos
  Nec nega mihi flammeum labellum.
  Te jam, te volo basiare, mollis
  Molli mollior Anseris medullâ.

## *Basium* XV.

Adducto puer Idalius post tempora nervo,
Stabat in exitium, pulcra Neaera, tuum:
Quum frontem, sparsosque videns in fronte capillos,
Luminaque argutis irrequieta notis,
Flammeolasque genas, et dignas matre papillas,
Jecit ab ambiguà tela remissa manu:
Inque tuas cursu effusus pueriliter ulnas,
Mille tibi fixit basia, mille modis.
Quae succos tibi myrteolos, Cypriosque liquores
Pectoris adflarunt usque sub ima tui.
Juravitque Deos omnes, Veneremque parentem,
Nil tibi post unquam velle movere mali.
Et miremur adhuc, cur tam tua basia fragrent?
Duraque cur miti semper amore vaces?

## *Basium* XVI.

Latonae niveo sidere blandior:
Et stellà Veneris pulcrior aureà,
Da mihi basia centum.
Da tot basia, quot dedit
Vati multivolo Lesbia, quot tulit:
Quot blandae Veneres, quotque Cupidines
Et labella pererrant
Et genas roseas tuas.
Quot vitas oculis, quotque geris neces,
Quot spes, quotque metus, quotque perennibus

Mixta gaudia curis,
Et suspiria amantum.
Da, quàm multa meo spicula pectori
Insevit volucris dira manus Dei;
Et quàm multa pharetrâ
Conservavit in aureâ.
Adde blanditias, verbaque publica,
Et cum suavicrepis murmura sibilis,
Risu non sine grato,
Gratis non sine morsibus;
Quales Chaoniae garrula motibus
Alternans tremulis nostra columbula,
Quum se dura remisit
Primis bruma Favoniis.
Incumbensque meis, mentis inops genis,
Huc illuc oculos volve natatiles,
Exanguemque lacertis,
Dic, te sustineam meis.
Stringam nexilibus te te ego brachiis,
Frigentem calido pectore comprimam,
Et vitam tibi longi
Reddam afflamine basii:
Donec succiduum me quoque spiritus
Istis roscidulis linquet in osculis,
Labentemque lacertis,
Dicam, collige me tuis.
Stringens nexilibus me, mea, brachiis,
Mulcebis tepido pectore frigidum,

Et vitam mihi tunc
Flabis rore suavii.
Sic aevi, mea lux, tempora floridi
Carpamus simul. En jam miserabiles
Curas aegra senectus,
Et morbos trahet, et necem.

## *Basium* XVII.

Qualem purpureo diffundit mane colorem
Quae rosa nocturnis roribus inmaduit,
Matutina rubent dominae sic oscula nostrae,
Basiolis longâ nocte rigata meis.
Quae circum facies niveo candore coronat,
Virginis ut violam quum tenet alba manus.
Tale novum seris cerasum sub frondibus ardet:
Aestatemque, et ver quum simul arbor habet.
Me miserum, quare, quum fragrantissima jungis
Oscula, de thalamo cogor abire tuo?
O saltem labris serva hunc formosa ruborem,
Dum tibi me referet noctis opaca quies.
Si tamen interea cujusquam basia carpent,
Illa meis fiant pallidiora genis.

## *Basium* XVIII.

Quum labra nostrae cerneret puellae
Inclusa circo candidae coronae,
Ut si quis ornet arte curiosâ
Corallinis signum baccis eburneum,

Flevisse fertur Cypris, et gemendo
Lascivientes convocasse amores,
Et quid juvat, dixisse, purpuratis
Vicisse divas ad Trojam labellis
Sub arbitro pastore, quum Neaera
Haec antecellat, arbitro poeta?
At vos furentes ite in hunc poetam,
Et dira plenis tela de pharetris
In illius medullulas tenellas
Distringite acres perstrepente cornu.
At illa nullo pertepescat igne;
Sed tacta pectus plumbeà sagittà,
Torpescat imas congelata venas.
Evenit: imis uror in medullis,
Et torrido jecur liquescit aestu.
Tu fulta pectus asperis pruinis,
Et caute, quales aut aequor Sicanum,
Aut Adria undis tundit aestuosis,
Secura ludis impotentem amantem
Ingrata, propter ista labra rubra
Laudata plector. Heu misella, nescis,
Cur oderis, nec ira quid Deorum
Effraena possit, et laesae Diones.
Duros remitte, mollicella, fastus,
Istoque sume dignos ore mores;
Et quae meorum caussa sunt dolorum,
Mellita labris necte labra nostris,
Haurire possis ut mei pusillum

Praecordiis ex intimis furoris,
Et mutuis languere victa flammis.
At nec Deos tu, nec tu time Dionem.
Formosa Divis imperat puella.

## *Basium* XIX.

Mellilegæ volucres, quid adhuc thyma cana, rosasque,
Et rorem vernae nectareum violae
Lingitis? Aut florem latè spirantis anethi?
Omnes ad dominae labra venite meae.
Illa rosas spirant omneis, thymáque omnia sola,
Et succum vernae nectareum violae:
Inde procul dulceis aurae funduntur anethi,
Narcissi veris illa madent lacrymis,
Oebaliíque madent juvenis fragrante cruore,
Qualis uterque liquor, cùm cecidisset, erat,
Nectareque aetherio medicatus, et äëre puro,
Impleret foetu versicolore solum.
Sed me, jure meo libantem mellea labra,
Ingratae socium ne prohibete favis:
Non etiam totas avidae distendite cellas,
Arescant dominae ne semel ora meae,
Basiáque impressans siccis sitientia labris,
Garrulus indicii triste feram precium.
Heu, non et stimulis compungite molle labellum:
Ex oculis stimulos vibrat et illa pareis.
Credite, non ullum patietur vulnus inultum:
Leniter innocuae mella legatis Apes.

# IN JOANNIS SECUNDI BASIA.

## ANDREAE ALCIATI JURISCONSULTI EPIGRAMMA.

Extremum si post tot dulcia basia finem
  Neaera concessit tibi,
Quin illum potiùs celebras? Nocteisque beatas
  Ad alta tollis sidera?
Si non concessit, et adhuc tua messis in herba est,
  Quò tot cataglottismata?
O segnem Veneris tyronem, et perdere dignum
  Quae jam recepit praemia!

## IN EADEM BASIA

*G. Cripii J. C. Epigramma.*

Si quae lacteolis genis Neaerae,
  Si quae purpureis labris dedisti,
  Illi basia tam fuêre grata,
  Quàm quae versiculis tuis, Secunde,
  Doctis et lepidis tulisti ad astra,

Doctis basia ab omnibus probantur :
Fallor, basia ni illa tam beata
Quaedam gaudia sint beatiora,
Et suavius his quid insecutum.

*BASIORUM FINIS.*

INDEX

# INDEX

## contentorum in hoc volumine.

---

. . .

FINIS.

## *ERRATA QUAEDAM.*

*Pagina* 2, *versu* 13, Exuor em bracis; *lege* Exuor en, bracis

*Pag.* 6, *vers.* 5, irrimat, *leg.* irrumat.

*Pag.* 19, *vers.* 21, Rustica, *leg.* Rustice,

*Pag.* 27, *vers.* 23, Eequis, *leg.* Ecquis.

*Pag.* 38, *vers.* 13, Lentium, *leg.* Leutium.

*Pag* 38, *vers.* 15, Lenti, *leg.* Leuti.

*Pag.* 50, *vers.* 15, quom, *leg.* quum.

*Pag.* 60, *vers.* 24, Fatae, *leg.* Fata.

*Pag.* 64, *vers.* 6, Quar quid fert, *leg.* Quae quid fert, quid fert?

*Pag.* 81, *vers.* 11, quém, *leg.* quám.

*Pag.* 101, *vers.* 5, ipsius met, *leg.* ipsiusmet.

*Pag.* 102, *vers.* 2, Ovidanum, *leg.* Ovidianum.

*Pag.* 196, *vers.* 21, cautus, *leg.* cantus.